

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

#43.X.113


* 43. F. 113.

LITTERÆ ANNVÆ
P R O V I N C I Æ
P A R A Q V A R I Æ
S O C I E T A T I S I E S V

Ad admodum R. P. M V T I V M
V I T E L L E S C V M eiusdem Socie-
tatis Præpositum Generalem

Missæ à R. P. N I C O L A O D V R A N
Paraquaria Præposito Prouinciali;

Eius nomine ac iussu scriptæ à P. I A -
C O B O R A N Ç O N I E R Belgâ
eiusdem Societatis.



ANTVERPIÆ,
Typis IOANNIS MEVRSI.
ANNO M. DC. XXXVI.

Superiorum permissu.



CATHOLICO LECTORI.



*Q*UANTVM tibi, Catho-
lice Lector, mæroris af-
ferre potuerunt cala-
mitates, quas hereti-
corum armis subnixa
Impietas his annis Ecclesiæ Dei consci-
uit; tantum solatij ac voluptatis perci-
pias necesse est, cùm leges in ignotis an-
teà incultisq̃ue Barbarorum regionibus,
recens sparsum Euangelij semen vberri-
mos fructus spondere. Quam in rem
tum plures alij religiosi viri haud pa-
rum suscipiunt operæ, tum Patres So-
cietatis IESV indefesso studio adlabo-
rant. Atque in hoc quidem libello per-
spicies, quo in vastissimis illis ad Au-
strum regionibus, quibus à Paraquario
flumine nomen factum, res Christiana
sit loco; quid paucis annis, ac præsertim

1626. & 1627. gestum sit; quæ spes as-
 fulgeat breuî omnes illas anthropopha-
 gorum nationes suauî Christi iugo sub-
 dendi; quantum ærumnarum, pauper-
 tatis, periculorum isthic addeant homi-
 nes Societatis IESV; quàm denique be-
 nignè suis opituletur Dei prouidentia.
 Litteræ sunt, quales annuè ex omnibus
 prouinciis ad Præpositum Generalem
 mitti consueuere, atque ab eo cum reli-
 quis sociis cõmunicari. Has verò etiam
 publicæ luci dare visum fuit, quòd piis
 hominibus haud vulgare fortassis sola-
 tium existimarentur allaturæ. Eas è
 Paraquariâ Romam misit R.P. Nico-
 laus Duran Societatis isthic Præposi-
 tus Prouincialis; scripsit verò, eius iussu,
 P. Iacobus Rançonier, isthuc è Belgio
 ante annos non ita multos profectus;
 qui earum deinde exemplar ad R.P. Ia-
 cobum Stratium Flãdrobelgicæ prouin-
 cia

cia Præpositum misit. Verùm id septimo demum pòst anno allatum est, fortè ob infesta à piratis aliisque fidei hostibus maria. Tu Deum, Lector, precare, ut & vires operariis illis in suâ vineâ laborantibus sufficiat; & gratiâ suâ cælesti indomitos barbarorum animos emolliat; & quò plures in partem tam sancti laboris venire possint, pacem Ecclesiæ suæ tranquillitatemque largiatur. Vale.

A P P R O B A T I O.

Litteras annuas Societatis Iesv è Paraquariâ prouinciâ in Belgium missas, cùm plurima contineant scitu digna, edi posse censeo, ad Dei gloriam, & commendationem eiusdem Societatis, operarios suos destinantis ad Missiones adeò laboriosas, & omni humano solatio rebusque etiam ad vitam sustentandam necessariis ferè destitutas. Antuerpiæ v. Augusti, ann. M. DC. XXXVI.

G A S P A R E S T R I X
S. Th. Lic. Pleb. Antwerp.
Libr. Cenfor.

FACULTAS PROVINCIALIS.

Ego *infra scriptus Societatis Iesv per Flandro-belgicam Prapositus Prouincialis, potestate ad id mihi ab admodum Reu. P. Mutio Vitelleſco Societatis nostra Praposito Generali factâ, concedo vt Annua Littera Paraquaria à Ioanne Meursio Typographo Antuerpiensi excudantur. Bruxellis xviii. Iulij, ann. M. DC. XXXVI.*

F R E D E R I C V S T A S S I S.

LITTERÆ ANNVÆ

SOCIETATIS IESV

PROVINCIAE

PARAQVARIÆ

ANN. MDCXXVI. & MDCXXVII.



X Litteris, quas P. Gaspar Sobrino huius Prouinciæ Procurator Romam secum tulit, Tua Paternitas labores, pericula, egestatemq; tum rerû omnium tum Sociorum præcipuè; nec non ingentem animarum messem, quæ vel hîc in fructu, vel in herbâ est, vel adhuc sub terrâ in semine latet, facîle colligere potuit. Hisce modò duorum insequentium annorum Litteris, in pleniorẽ huius Prouinciæ cognitionem, Paternitatem Tuam adducere decreui.

Sed priusquàm de Prouinciâ hac planè Apostolicâ dicere incipiam, deque multitudine hominum propè innumerabili, qui in vastissimis hisce regionibus, diffundente se Euangelij lumine, in dies pænè singulos deteguntur, deque suauissimo ac fortissimo modo, quo Indorum quamplurimi ad humanitatem, fidemque vel adducuntur, vel in eâ iam susce-

*Sociorum
in Para-
quariam
iter impe-
dire dia-
bolus co-
natur.*

ptâ conseruantur; nonnulla prius de Sociorum, quibus nos Tua liberalitas deuinxit, itineris serie recensenda: quod licet ex sententiâ successerit, non tamen suis in eo partibus dæmon defuisse videtur: vires enim omnes, vt id impediretur, impendit. Vt faciliè, ceteris ommissis, ex hoc eius vno, sed irritò, conatu elicietur. Socij tres & quadraginta cùm Vlyssippo ne in procinctu essent, atque in nauem pretio conductam res ad nauigationem necessariæ iam essent importatæ, repentina nescio quæ, nec opinantibus iis, turbatio accidit. Is enim qui portui præest nauigium iam conductum, auctoritate regiâ proscripsit, quòd ex terris cum Rege inimicitias gerentibus, id aduenisse diceret. Quod maximo iis futurum erat incommodo: nam & sic iter differebatur, & tempus nauigationi conducens elabebatur, & quod maximè omnes torquebat, vix alia erat in portu nauis, cui se æquè turò committere possent. His itaque, aliisque permultis incommodis, portus Præfecto expositis, interpositâ etiam ad id grauissimorum virorum auctoritate, quibus omnibus is se instar Marpesiæ cautis inexorabilem præbebat; Socij pro suo quisque ardore, orationibus, corporisque afflictationibus, quâ publicè, quâ priuatim ad Deum recurrere: quibus effecere, vt cùm iam de aliâ naue conducendâ seriò ageretur, repentè omnis illa procella conciderit. Nam

Præ-

*Socij ad
Deum re-
currunt.*

Præfecto Missarum, precum, corporisq̃ue castigationum supplex à Sociis libellus oblatuſ, durum antea eius animum ita flexit, vt exemplo plenam soluendi primi nauigij facultatem conceſſerit. Quod tantum à Deo beneficium acceptum, in aliquam grati animi ſignificationem, publica Sociorum omnium in triclinio flagellatio ſubſecuta eſt.

Itaque xv. Kal. Mart. Vlyſippone ſoluere, *Discedunt* Patribus Domus Profeſſæ, Collegij, ac Noui- *Vlyſippone.* riatuſ quamplurimis, honoris atque affectuſ ergo, ad nauem uſque comitantibus. Incedebant bini per urbem Regiam, frequente ſanè populo ex plateis atque editiore domuum parte eos deſpiciente; ſed generoſos atque alacres omnium animoſ ſuſpiciente. Fuit, qui in tranſitu elatâ voce proclamantem audiuerit: Ecce, quâ iſti læritiâ Oceani, procellarumq̃ue inſaniam derident! quàm ſerenâ fronte barbarorum ſe telis obſicere flagrant! Quæ voces non nemini eas audienti lacrymas exciuerẽ. Igitur ubi ad littuſ peruentum eſt, poſt mutuoſ amplexuſ & lacrymaſ, hinc gaudiij, illinc æmulationiſ, Luſitanis Patribuſ ualedictum eſt, eoq̃ue, quo dictum eſt, die conſenſum.

Mirum profeſſo eſt, quo ordine diſtributiſ *Ordo nauigationiſ.* in naui temporibuſ omnia peragebantur. Mediâ ante lucem horâ ſuaſ nautæ orationeſ contentâ voce occinebant. Excipiebat eaſ doctrina Chriſtiana, cuiuſ caput aliquod ex noſtriſ

*Mari
tranquillo
Missæ cele-
bratur in
navi.*

vnus in dies singulos nautis explanabat: quâ finitâ, meditatio, dato ad eam pulsu, inchoabatur: horâque cōsumptâ, Itinerarium recitabatur, Sanctorumq; omniû suffragia, ex consueto Societatis more implorabantur. Mari, ventisque fauentibus, ex nostris aliquis sacris operabatur, sacrâque communione, tum nostri, tum nautarum nonnulli non infrequenter reficiebantur. Ita tres primæ diei circiter horæ, in diuini cultus exercitio consumebantur. Interdum pius aliquis libellus nautis prælegebatur; sermones vix alij, nisi vel de sublimi eorum vocationis maiestate, vel de ardentissimo animarum zelo, vel de stupendâ Dei in admirandis suis operibus potentiâ, ferebantur. Quæstio etiam subinde aliqua è Philosophiâ, aut Theologiâ deprompta discutiebatur. Sub vesperam Canticum *Salve Regina*, vnâ omnium voce decantabatur. Ante consuetam in Societate conscientiæ discussionem, alius quidam è Patribus, alia Christianæ doctrinæ capita nautis exponebat. Post eam nautæ, quemadmodum manè suis diem orationibus aperuerant, ita rursus vesperi clauderant. Diebus Sabbatâ, Litaniæ Deiparæ Virgini sacræ, vario vocum atque instrumentorum concentu; diebus Veneris, *Miserere*, cantu ad luctum appposito, concinebatur, tanto omnium sensu ac deuotione, vt eo temporis decursu, nautæ aliqui in se ipsi flagellis desæuissent. His piis operibus publicis,

PROVINCIAE PARAQUARIÆ. II

publicis, aliisque priuatis effectum est, vt citra omnem piratarum, tempestatumque infestationem, ex Sociorum, nautarumque voto, periculosissimo tempore, maritimo sint itinere perfuncti. Hinc etiam effectum est (quod in illo hominum genere demirare) vt nautarum nemo, vel iurare, vel rixari auditus sit; imò nec vnum aliquod verbum, quod ad turpitudinem vergeret, toto nauigationis tempore, fuerit sibi passus excidere. Tantum valet assidua ad virtutem cohortatio, vbi multorum exemplis fuerit corroborata.

*Nautarum
pietas &
modestia.*

Ita felicissimo decursu nauem ad Ianuarij flumen appulere, Patribus Societatis omnibus, aliisque permultis eos perhonorificè excipientibus. Ipse Urbis Præfectus, Collegiique Rector, hic comitante Patrum, ille Nobilium agmine, scaphis canoisque (nauculæ hæ sunt, ex vnico arboris trunco incompactæ, quarum in totâ illâ orâ permagnus est vsus) ad nauem, honoris ergo venere, Patresque festo tubarum lituorumque solo excepere, & ad templum præeuntibus in viâ tibicinibus deduxere. Gratiis Deo in templo, vno omnium affectu, peractis, ad Collegium fuere deducti: vbi singulorum pedibus ad Christi exemplum ablutis, tot tantaque caritatis, beneuolentiæ, liberalitatisque signa eis fuere à Patribus Brasiliis exhibita; vt, quemadmodum vno omnes ore factentur, non tam homines missos, quam Iesum excepri.

*Ad Ianuarij
flumen
appellunt.*

*Maximâ
caritate
excepti.*

Chri-

Christum mittentem, hospitio accepisse videntur : neque enim videtur, quid ipsi aut plus, aut maius, vel affectu, vel opere, exhiberi possit. Decem ibi dies, pari semper caritate, ac liberalitate Socij tres & quadraginta fuere commorati, Patribus Brasiliis, toto eo temporis decursu, ut iis bene ab omnibus esset prospectum, suis commodis, habitatione, ac requie, cum gaudio atque alacritate, carentibus.

*Inde sol-
unt.*

Quibus elapsis, inde non sine amplexibus, lacrymisque utrimque discessum est : seque mari Socij rursum commiserunt, altero nauarcho, ob fluminis Argentei pericula secum assumpto, qui frequente iam usu, vadorum pericula, quæ toto illo flumine expanduntur, didicerat euitare. At vix portum relinquentes, iter inter duas hinc & illinc rupes, quarum ibi sunt in mari permultæ, susceperant; cum, quod alteram nimium declinarent, eos in alteram repente procella tantum non impexit: actumque erat de naui, nisi ipso temporis momento vela fuissent commutata. Felicem exinde cursum, ad flumen usque Argenteum tenuere.

*Multa in
mari Bra-
siliensi ru-
pes.*

*Flumen
Argenteum
latissimū,
sed vado-
sum.*

Insulæ sunt aliquot Boream versus in ipsis fluminis faucibus sitæ, in quibus securo portu naues anchoris fundari possunt : solent nonnumquam, ad eas vectores nauim appellere, ut sibi de carne piscibusque prospiciant, propterea quia & ad venationem & ad piscationem loca sint perapposita. In dubium etiam nautæ vocauere,

cauere, an nauis eò esset appellenda: sed quòd
 venti fauerent vltèriùs progressum est, vt vix
 insulæ ob nebulosum tempus sub eorum con-
 spectum venerint: quod postea notasse vsu ve-
 niet. Flumen vbi vectores sunt ingressi, sed
 quod à mari, nisi alueum tentaris, dignoscere
 nequeas, ita latè in vtramque partem, ad plu-
 rima milliaria prominet, triginta ab ipsis flu-
 minis faucibus leucis confectis, iam tum aquas
 dulces reperiunt: alueum ibi leucis adhuc am-
 pliùs triginta latum commemorât. Mare dul-
 ce diceret, ita neque hîc vllum terræ vestigium
 apparet: & nihilominùs, quod permirum vi-
 deri possit, cùm tantam flumen illud latitudi-
 nem occupet, vix aliquot aquæ palmos in alti-
 tudine sustinet; quo fit, vt fundus, nisi fortè
 ad vadum adhærere malueris, bolide identi-
 dem ac pænè continenter proiectâ, sit per-
 tentandus, alueo quæ aded periculoso iter sit
 faciendum, vt per aquæ palmos non amplius
 duodecim non semel sit vectoribus transun-
 dum; feliciter quæ ac præclarè cum iis nauibus
 actum existimegur, cùm ex tribus duæ portum
 incolumes tenuerint: procellis enim ab Austro
 spirantibus, hoc flumen vehementer ob-
 noxium, quæ in vada naues plerumque impel-
 lere consueuere.

*Procello-
 sum &
 naufragiis
 infame.*

Et sanè nisi clementissimus Dominus, Pro- *Socij peri-*
 uinciæ totius sacrificiis ac precibus, operatio- *culum di-*
 rum quæ penuriâ motus, Sociis præsidio fuis- *uinâ ope*
 set, *euadunt.*

set, pericula haud dubiè maiora iis dæmon intentasset. Argumento sit id vnum, miraculo proximum. Nocte quadam intempestâ dum aduerso flumine nauigarent, tanta fuit à ventis quies, vt vela huc & illuc, vt in malaciâ solet, languida diffuerent: iubet nauis gubernator vela omnia complicari, ipsasque antennas demitti, ne vela continente illa atque inutili agitatione corrumperentur: & ecce vix iussa eius expleuerant, cùm repenti cælum omne horrendo fragore concuti, fulguraque ita coruscantia accendi, vt notabilem ab iis in facie ardorem, is qui in superiore nauis parte decumberet, persentisceret, procellaque densissimo nimbo grauida, adeò vehemens exoriri cœpit, vt, quemadmodum nauarchus postea asseruit, si vela fuissent, vt modò, expansa, mali haud dubiè, cum antennis velisque contracti, conuulsi in fluuium fuissent deturbati, nauisque ipsa vel ad vadium allisa fuisset, vel ex malorum euulsione collisa. Sed protegente Domino dæmonū minæ in cassum cecidè: vix enim tertio oratio Dominica percurri potuisset, cùm, vti ex improviso fuerat exorta, ita repenti omnis illa aërea coniuratio corruit.

*Appellunt
ad portum
Boni Aë-
ris.*

Aliquando tandem ad optabilem Boni Aëris portum, Dominicâ, quæ in *Albis* dicitur, nauis fuit applicata: vbi eos iam tum præstolabar. Vtique eorum aduentus magis celebraretur,
P. Pe-

P. Petrum Commental ex Reductione S. Ignatij in Paranâ ducentis à portu leucis secundo flumine descendere iusseram; qui viginti Indis quâ Musicis, quâ citharædis stipatus, commodum aduenerat, ut suo cantu, instrumentis, salutationibus, aliisque lætitiæ & gratulationis indicibus eos exciperent. Hi omnes, alii que per multi cuiuscumque ætatis & conditionis Indi, varias in turmas ac manipulos distincti, ad fluminis ubi ripam venêre, alij in amplexus Patrum ruere, alij manus exosculari, alij flexis poplitibus eorum benedictionem deposcere, alij denique alia gaudij ac venerationis signa iis ostentare. Erumpebant hîc nonnullis, ex consolationis affluentia lacrymæ, tum quod gentem modò Christo ignotam, ea Christiani hominis erga Patres officia præstare; tû quod tot periculis exhaustis, inflammata sua desideria, in gaudia iis correspondentia conuerti experirentur. Ab his Indis in Collegium Patres fuere deducti, omnium animis, præ gaudio, subsilientibus: quò iam tum musici à naue conuenerant, suis eos fidibus, ac tripudiis exhilarare gestientes: quod & per dies aliquot subsequentes est factitatum, magnâ omnium, in gente nuper tam barbarâ dexteritatis admiratione. Vix enim credat quis, quàm facilè hi Indi quiduis arripiant; magnum ingeniorû, si exulta forent, specimen exhibentes. Quid hîc dicam de meis, ceterorumque omnium Patrum

*Festiuè ab
Indis &
Sociis ex-
cepti.*

trum ac Fratrum amplexibus? quid de omnium animis vtrunque gaudio delibutis; illinc, dum Dei in se numquam satis repetitam benignitatem reputarent, qui tot periculis superatis, ad tam sublimem vocationis statum, eos esset dignatus admittere; hinc, dum tantum nobis Sociorum subsidium, omnium corpore animoque valentium cerneremus aduenisse, cuius rei causâ plus octo mille sacrificia omnipotenti Deo fuerant per Prouinciam immolata? Ita dies aliquot, mirâ omnium hilaritate abiêre.

*Nauis Hol-
landica
flumen lu-
strat.*

Decimoquinto à Patrum aduentu die, nauis altera maior in flumine apparet, portumque tenere velle videtur, & præeunte scaphâ totam, quâ latè patet, aluei altitudinem latitudinemque tentat: leucasque aliquot ultra Boni Aëris portum aduerso flumine conscendit. In transitu tormento ex arce exploso eam salutarunt: ad cuius ictum, maiore quidem tormento respondit, at, portum præteriit. Hîc vrbis Gubernatori suspicio iniecta est, hostilem eam sibi nauem videri: quapropter ciues arma capeffere iussit: verebatur enim ne vti Hollandi Bahyam, præmissâ simili naue, ceterisque post subsequentibus, aliquot ab hinc annis, interceptê; ita simili modò stratagemate portum hunc occupare affectarent. Sed vti venerat, ita nauis post triduanam fluuij concursationem, reuersa est, variosque hîc sermones, & coniecturas excitauit. Dies pauci effluxerant, cum

cùm undecim circiter à portu leucis , propter
 oram fluminis, sub vase ligneo chartæ repertæ
 sunt , quæ rem totam detexere. Octo erant
 exemplaria, Hispanico idiomatè contexta, si- ^{Scripta}
 milibus omnino typis in Hollandiâ excusa, ^{heretica}
 quorum inscriptio hæcerat: *Iustitia Peruviana vi-* ^{& seditio-}
ta, salus, &c. In ipso capite auctores se ipsi pro- ^{sa spargit.}
 debant: nam hîc obedientiam Romano Pon-
 tifici abiurabant , Regisq̃ue Catholici legiti-
 mum harum Indiarum dominium subvertere
 nitebantur. Ceterùm variis verborum illece-
 bris, pollicitationibusq̃ue suæ sortis homines,
 qui religionem suis commodis postponunt ,
 quorum etiam in Indiis copia non deest , ad-
 hortabantur, vt seditionibus in Deum Re-
 gemq̃ue concitatis, sibi adhærerent, iisq̃ue iam
 tum officia impressis , obsignatisq̃ue chartis
 dispertiebantur : Indis verò mancipiisq̃ue li-
 bertatem , ac mira alia addicebant. Ita homi-
 nes peruvicaci ingenio , Dei Regisq̃ue excusso
 iugo, rapinis suis ac seditionibus, quibus alun-
 tur, per fas nefasq̃ue fraudulentis illecebris do-
 minationem, ambiunt , & quò leonina non
 pertingit , vulpinam ~~student~~ attexere. Gau-
 dium nobis hîc omnibus subortum , quòd in
 eorum manus in mari Socij non incidissent.
 Argumentis enim valdè verosimilibus postea
 deprehensum est, quòd in aliquâ ex iis Insulis,
 quarum superius mentionem fecimus , illos
 fuerant præstolati. Sed benedictus Deus, qui

B

laqueos

laqueos eorum contriuit : nam post multos annos , neque talis Missio potuisset reparari , neque innumeri populi , deficientibus iis qui facem præferrent , fidei lumen aspicere.

*Vrbs Boni-
aëris idèd
turbata.*

Sed non , uti nos , ita & reliqui gauisi : turbata ciuitas : alij eorum reditum vereri , alij præstolari : custodię geminari cœptæ : certi homines missi , qui præter flumen equitantes circumspicerent , num quas vel insidias , vel machinas deprehenderent ; qui eiusdem generis exemplaria complura variis in locis reperire : adèd ut suâ Episcopus auctoritate , ne cui vel erroris , vel seditionis ansam relinqueret , publicè pro suggestu , ex fidelium communione proscripserit eos omnes , qui hosce pestiferos libellos vel legerent , vel non statim ad se , vel ad sacræ fidei Inquisitorem deferrent. Atque ab eo tempore , nihil hac super re ulterius est agitarum , nisi variæ à variis coniecturæ depromptæ.

*Socij in
Domini
vineam
missi.*

Hac Urbis consternatione sopitâ , P. Petrum Comental eò vnde venerat remissi , Patres-que eos omnes , qui præfixum studiis in Societate terminum attigerant , ei comites adiunxi. Non facilè dixerim , quàm animo meo volupe fuerit alacres eorum atque imperterritos animos intueri : dum eos , generosorum instare quorum , intonante laborum ac periculorum classico , magis animari conspicerem. Itaque post mutuos amplexus lætitiâ omnes in-

inflati, ballas conscendere. Insolense est id in Europâ nauigij genus, in his tamen partibus multum vsitatum. Ex binis canois conficitur, quæ stipitibus asseribusque connectuntur, bicubitali circiter spatio interiecto, quo aqua possit inter canoas subterfluere. Super asseres tentorium, ad mitigandos solis ardores, cælique inclementiam propulsandam erigitur, sub quo necessariam corporum refectionem honestamque animorum relaxationem Patres captare solent.

*Balsana-
uigij ge-
nus.*

Missis itaque Patribus, paucis post diebus cum reliquâ Sociorum manu Cordubam petij, vbi incredibilibus amoris indicijis tum nostri inprimis, tum vniuersa se Ciuitas in gratulationem effudit. Quindecim omnino dies in hac communi animorum lætitiâ effluxere: quibus elapsis P. Gaspar Sobrino cum sex Sociis, quos Tua ei Paternitas addixerat, ad designatam sibi Chilensem Vice-Prouinciam concessit. Ceteri in Cordubensi Collegio, in animatum conuersionem, magnâ sedulitate studiorum sibi cudunt instrumenta: mirumque profectò est, quantâ omnes auiditate, in subiectâ oculis suis animarum messem ferantur: alius enim alij, sibi omnes, finem illum, qui eos ex Europâ euocauit, continentibus hac de re, statis horis, sermonibus, proponunt: seseque mutuò, non colloquiis modò, atque orationibus; corpori etiam pœnis, quâ clam,

*Corduba
vrbs Pa-
raquaria.*

*6. Socij in
Chilensem
Prouin-
ciam missi.*

quā palām infligitis, ad eum consequendum accendunt.

Hæc ferè sunt, quæ circa nostrorum iter posteriora mihi vîsa sunt. Nunc lætos atque vberes animorum fructus ex copiosâ huius Prouinciæ messe hoc biennio perceptos, Tuæ, vt par est, Paternitati offeram. Messores in eâ habes 156. sacris ordinibus initiatos 83. studiis operam dantes 23. Marthæ munus exercentes 38. tirones 10. Hi omnes Collegiis 9. Residentiâ vnâ, Indorum Reductionibus 20. distinentur, iis exceptis, quos zelus suus nullâ stabili sede conquiescere patitur. Sex in Societatem; duo, vt speramus, in cælum sunt adscripti. Quod ad communia attinet, tantum dicam, accuratam in nostris instituti regularis obseruationem; in externis, frequentem Sacramentorum susceptionem, Sodalitatum, vel veterum accretionem vel nouarum accessionem: cum omnibus denique, tum Ecclesiasticis tum sæcularibus pacem nobis eam fuisse, quam suis Christus exoptat. Omittam etiam plurima notatu digna ad Collegia spectantia; quodd de Missionibus, in quibus huius Prouinciæ gloria sita est, multa sint dicenda: ne litteræ hæ extra suos limites progressæ, si singula persequi uolero, in nimium volumen excrescant.

*Numerus
Sociorum
in Para-
quariâ.*

COL-

COLLEGIVM CORDVBENSE.

DECem hîc Patres degunt, quorum Theo-^{Socij Cor-}
 logiam duo, totidem Philosophiam pro-^{duba de-}
 fitentur. Studiis operam dant tres & viginti,^{gentes.}
 ex quibus Theologi vndecim, quorum nouem
 nuper Deo primitias immolauere: Philosophi
 item, quâ Logici quâ Physici, vndecim: Gram-
 maticam prælegit vnus. Temporalibus tredecim
 officiis occupantur. In Tirocínio duodecim,
 ex quibus duo tertio in eo iam anno, ex-
 citantur: adeò vt vniuersum 59. in hoc Col-
 legio numerentur.

Magno omnes hîc affectu ac veneratione ^{Morbue}
 S.P.N. IGNATIVM prosequuntur. Nec stu-^{cardiacus}
 strâ: multis enim sibi addictos donis cumulat, ^{S. Ignati}
 naturæ vigorem superantibus. Ex multis vnum ^{inuocatio-}
 feligam. Duodennis puer humaniorum Litte-^{ne cura-}
 rarum alumnus, cardiaco morbo, ingenti
 membrorum omnium sensu, adeò torqueba-
 tur, vt de mente deiici videretur, deciesque de
 die subinde morbus, magno parentum mœ-
 rore, recurrebat. Post varia remedia, non ea
 modò, quæ vel ars vel experientia, sed etiam
 quæ pietas suggesserat, nequidquàm adhibita;
 puerum communi voto parentes S. Francisco
 Minorum Patriarchæ deuouent, de quæ com-
 muni consilio pannum ad sacrum cucullum
 conficiendum emunt: quem vbi puer sibi vi-

dit oblatum, cum respuens, ait se S. IGNATII amictum induere velle, si quæ eo induatur, fore ut à morbo conualescat, affirmat: cum quæ diu parentibus restitisset, tandem illos importunis suis eò precibus adegit, ut ei morem gerentes, àmborum Sanctorum nomina diuersis in schedulis scriberent, sorte eximenda. Plus vices S. IGNATII nomen à parentibus, aliisque, variis temporibus extractum est. Quo tanto portento commoti parentes, Societatis veste puerum induere, quæ ubi morbum fugauit, in beneficij accepti memoriam, S. IGNATIO argenteum cor anathema parentes suspendere: puer quæ ab eo tempore, citra dolorem, alacri animo, acri quæ ingenio magnos in studiis progressus facit.

*Opera
proximis
impensa.*

Inter sæculares notabiles inimicitia nostrorum operâ depositæ. Non modò Indi, qui intra vrbs pomœrium sedem habet, subuentum; sed ad eos etiam, qui aliquot ab vrbe leucis, variis in vicis commorantur, excursus est: quibus in excursionibus duo menses euoluti, qui an laboribus an fructu vberiores fuerint, ambigitur. plurimi enim à peccatis Confessionis Sacramento expiati: quos inter, ætate iam affectâ complures, plus quinquaginta annis collectum peccatorum virus, euoluere. Præter alios item permultos quadringenti circiter, senio confecti, quorum nonnulli ad centesimum annum ætate processerant, sacro regenerationis

*Indi senes
baptizati.*

rationis fonte lustrati : quoque diuinæ prouidentia ac benignitatis ratio magis eluceret, tantum eos gaudium incesse:at, vt id ætatis, se non valentes comprimere, quidquid ferè in iis succi supererat, id omne per oculos erumpere videretur. Magis tamen perspicuè diuina *Mira Dei prouidentia.* prouidentia, in eo quod sequitur, emicuit. Patet errore viæ, casu, vt arbitrabatur, à Socio distractus, sub pede montis, strepitum nescio quem sibi visus percipere, eò se confert, octoque homines reperit, omnes octogenariis maiores, qui nullum se vnquam Europæum vidisse asseriebant, quos vbi sufficienter instruxit, salutaribus aquis, magno eorum gaudio expiauit.

Æthiopes mancipia, quorum in totâ hac *Servi Ap- golani à nostris em- rantur.* continente permagnus est numerus, eò quod ex Angolâ & Guineâ (vbi alij alios captiuitate in seruitutem redigunt, atque Hispanis, Lusitanisque mercatoribus vendunt) huc singulis annis complures naues iis plenæ aduehantur, suam in hac vrbe, vt & in ceteris omnibus Sodalitatem habent, cui mirabili planè pietate afficiuntur. Nullum hi præter Societatem in corporis infirmitatibus, animique ægrotudinibus perfugium habent. Solent hi, vbi in has partes sunt aduecti, quod baptismorum in eorum terris susceptorum valor ac ritus in dubium vocetur, iterum sub conditione liminari Ecclesiæ lauacro tingi.

COLLEGIVM S. IACOBI

ESTERENSE.

*Fluminis
exunda-
tio.*

Civitas hæc iuxta fluviū sita est, qui frequenter in tantam aquarum ex vicinis montibus defluentium copiam solet excreſcere, ut civitati periculum non exiguum inundationis imminet. Atque hoc anno non periculum modò, sed etiam damnum intulit non mediocre: etenim mediam pænè ædificiorum partem secum flumen in præcepſ. tulit, Fratrumque Mercenariorum ædem, ædificiumque penitus disturbavit; adeò ut Religioſos omnes in noſtrū Collegium, magnâ omnium ædificatione, Rector receperit, vsque dum de habitatione iis eſſet proſpectum.

*Sociorum
caritas.*

COLLEGIVM BONI AERIS.

Illuſtrem ſanè operam huius Collegij Patres in exacerbatis Eccleſiaſticorum in ſæculares animis cõponendis adhibuère, Inter inſigniora diuinæ pietatis indicia hîc oſtenſa, ut alia multa, non tamen illud poſſum prætereire. Adoleſcens in fœdiſſimi peccati ſe cœno volutauerat, quo mentem torquente, vix ſubinde in poſtate eſſe videbatur: adit Collegium, atque cuidam ex noſtris, ſibi dæmonem obuerſari. Pater crucem ei deoſculandam tradit, quam
ori

ori nullâ vi adhibitâ antè admouere potuit, *Vis sacra*
 quàm peccatum per confessionem eiecit. Inter *confessio-*
 Æthiopes recenter ex Angolâ aduectos pestis *nis.*
 multum grassata est. Campum sibi oblatum, in
 quo inflammata in proximos caritas excur-
 rere atque ostendi posset, mirâ puritate huius
 Collegij Patres arripuere: quibus in eodem
 ministerio, vt & in ceteris, *incredibili zeli* *Peste labo-*
 ostentatione, Patres ij Brasili adiuumento fuê- *rantibus*
 re, qui huc, carente Brasiliâ Episcopo, aduene- *succurrunt*
 rant sacros ordines suscepturi: sed ob conti- *Socij.*
 nentem in mari piratarum infestationem,
 sesquiannum hîc coacti sunt commorari.

COLLEGIA SANCTÆ FIDEI,

TVCVMANENSE, ESTEQVENSE,

RIOCENSE, SALTENSE.

IN hisce Collegiis solita Societatis ministe-
 ria, à ternis, quaternis, vel quinis Sociis, qui
 in singulis degunt, multum exercitata. Plurimis
 totius vitæ peccata repetentibus aures datæ.
 Flagellationes publicæ; per omnes fere vicôs
 adhærentes sæpius iteratæ. In gratiam deposi-
 tis odiis complures vi concionum rediêre.
 Particulares casus, qui in iis contingere præter-
 co, quod ad maiora festino.

B 5 COL-

COLLEGIVM ASSVMPTIONIS.

Maximum huius Collegij encomium in eo constitit, quòd Seminarium quasi ac commune eorum qui in Missionibus versantur sit perfugium. Vbi enim in morbum incidere, si non nimio ab eo intervallo sint disiuncti, huc ad restaurandas corporis vires solent deuenire. Quare si priùs quæ Collegio propria fuere dixerò, non incommodè ab eo Missionum ducam exordium.

Quæ tertio huius Ciuitatis Episcopus humaniorum Litterarum, artiumque ac Theologiæ Moralis studia nobis eripuerat, ac sui Ordinis Patribus tradiderat, ea nobis hoc anno, Clero atque eodem Episcopo flagitante, (qui antè paulò à nobis alienior, iam erat omnino conciliatus) vniuerso populo applaudente, fuere restituta.

*Miracula
S. Ignacij.*

Dici vix potest quantis prodigiis S. P. N. IGNATIVM Deus hic illustret. Vnica eius imago papyracea 35. miraculis hoc biennio fuit insignis: nam & matronarum partus maturati, & vberum dolores depulsi; atque adeò visus est mulieri restitutus. Fuitque alia, quam currus rota panè obtriuera, quæ primò eius imaginis attractu repentè conualuit. Atque vt feminis Sancti imago in chartâ, ita viris eiusdem numisma in ære expressum profuit: cuiusdam enim

enim collo applicatum diffusa eius intestina in suum locum reuocauit.

Ingens peccatorum horror conciones est subsecutus. Eius rei fidem facient quæ referam. Mulier quædam certior facta fratre domi suæ turpe aliquod facinus perpetrasse, tantum ex eo dolorem concepit, ut lectum peccati te-

Horror peccati.

stem iusserit flammis tradi. Virgo alia, Deipara Virginis imaginem pectori admotam, velut scutum, quo tela nequissimi ignea restingueret, circumferebat. Hæc impudico adolescenti non illecebris modò, sed vi etiam instanti, adeò restitit, ut victrix è certamine excesserit.

Imago D. Virginis amuletum contra tentationes.

At imaginem suam ubi postea fractam vidit, non mediocris eius animum tristitia subiit, quæ victoriæ gaudium temperauit: eius frustra collecta in pyxidem conclusit, quam insequenti die reserans, suæ imaginem integritati restitutam, ac si illæsa fuisset, offendit. In hoc mater quantum ab impuritatis vitio abhorre-

ret ostēdit, filius in eo quod subdam. Vir, cuius ex collo Christi crucifixi effigies erat suspensa, peccandi occasionem sibi oblatam auidè arripuerat: admissioque flagitio, Crucifixum funiculo omnino illæso, atque, ut antea erat, adstricto, sibi deesse aduertit: stupore attonitus, & conscientiae stimulis agitato, eum quem amiserat requirit, illumque in cubiculi angulo, quò præ peccati horrore confugerat, longè ab eo loco in quo offendebarur dissito, reperit.

Peccator miraculo monitus.

rit. Quod postea totâ vrbe, magnâ audientium admiratione percrebuit.

*Vis sacra
Euchari-
stia.*

Is est fructus, quem Indi ex crebrâ Sacramentorum susceptione percipiunt, vt de animi euagationibus, quæ iis vel inter sacrum vel inter diuinum sermonem audiendum contingere, magno animi sensu sese frequenter incusent. Neque demirandum est, eorum adeò teneras esse conscientias, quippe quæ lautissimis Angelorum epulis tam crebrò vescantur. Idem etiam cibis contra insurgentes quosuis hostium insultus, quos iis vel immoderata terræ libertas, vel effrenata naturæ licentia præbet, robustos eos solet efficere. Inda Christianus, at inipurus homo, blandis verborum lenociniis demulcebat: quâ turpi eius petitioni cōdescendere abnuente, eam per Deum is cœpit obtestari, vt suæ cupiditati morem gereret: quo Dei nomine audito Inda adeò continuò exarsit, vt impudicam eius impudentiam reprimens, contentâ eum voce ita compellaret: Infelix! nâ tu Christianus non es, qui Deum actus tam infamis deprecatorem constituis; totque eum calumniis audientibus aliis onerare perrexit, vt ille confusionem, hæc victoriam, audientes ex eo ædificationem reportarint.

*P. Mi-
chaelis So-
tomaïor
mors, &
Virtutes.*

Magnâ post se sanctitatis opinione relicta, mortalitatis vinculis solutus est Pater Michaël Sotomaïor, quem iam tum in tirocinio R. P.

Alphon-

Alphonſus Rodrigueſ ſanctum fore prædixe-
 rat. Vir fuit oratione frequente, atque altiffimâ
 ſanè humilitate, perpetuaque in rebus omni-
 bus animi æquitate, quàm ex maximâ ſuæ cum
 diuinâ voluntatis conformatione contraxe-
 rat. Res has inferiores mirâ animi elatione
 ſemper deſpexit. Numquàm aut verbum pro-
 tulit, aut actionem exercuit, ex quâ in ſui lau-
 dem quidquam reſſuere poſſe videretur. Ne-
 que ciſtulam, neque pyxidem, neque aliud
 quidpiam, quod meum aut tuum ſaperet, ne
 imaginem quidem vnquam admifit: omnem
 quippe theſaurum in Deo collocârat. Ardens
 de proximorum ſalute zelus, quo flagrabat, la-
 boreſ ei quos ſuis faciles reddebat: adeò vt paſ-
 ſim apud omnes ſanctus audiret, omnibuſque
 non minùſ carus eſſet quàm venerabilis. De-
 nique quiſ fuerit, facilè ex hoc conficietur. Eo
 deſuncto, religioſæ familiæ omneſ in corpore,
 vt & Clericorum Collegium, ad eiſ ſunus
 ſponte confluxère: humeroſ in eo efferendo
 Superioreſ Ordinum & cleri ſubiecère: popu-
 luſque vt ſibi aliquid de iis rebus, quibuſ Pa-
 ter uſuſ fuerat, darètur, multuſ lacrymiſ depo-
 ſcit.

PROVINCIAE CHAUVENSES

NOVISSIME DETECTÆ,

vulgò C H A C O.

TRIBUS ab hinc diebus epiſtola quædam in
 meâſ manuſ peruenit, quâ P. Gaſpar Oſo-
 rius

30 LITTERÆ ANNUÆ SOC. IESV
rius Sociiſ annuens, ingens ſibi atque Euange-
lio nouiſſimè apertum oſtium confirmat.
Quare eius hîc litteras apponere non dubita-
bo: vt Tua Pâternitas Deo grâtiâs referat, de
tot tantîſque oſtiis, quæ hoc biennio filiis tuis,
ſtrenuam hîc operam nauantibus, diuina bo-
nitas referare dignata eſt. Itaque in hunc ma-
ximè modum ſcribit Pater:

*Littera P.
Gaſparis
Oſorij.*

*Chaceniſis
regionis
naturæ,
populi.*

*Matha-
guaici.*

*Chirigua-
nes.*

Tres iam meſes abiêre, cùm ex Eſterenſi
S. Iacobi Collegio ſum egreſſus. Solo huc Æ-
thiope comite, auſpicato B. Virginis ad Ni-
ues die, perueni. Miro hîc gaudio fuêre affecti,
ex aræ meæ portatilis aſpectu, ſed maiore ego
ex eius poſſeſſione: quando quidem his in locis
præter auguſtum Miſſæ ſacrificium nihil ſit,
quod ſolatio mihi in laboribus eſſe poſſit.
Ager hic opimus ac fertilis eſt, multis annis
interfluentibus diſtinctus. Magnam Indi vo-
luptatem percipiunt cùm me ſuum idioma vi-
dent addiſcere. Complures hâc Caciquij in
dies commeant. Variæ nationes confines, va-
rio vtuntur idiomate. Numerum quinquâ-
ginta millium ſuperare dicuntur eius ſolius
linguæ, quam mihi reddo magis familiarem.
Mathaguaici amplius triginta millia feruntur,
qui induſtrij quidem, ſed non iis viribus pol-
lent quibus Chiriguanes: (alia hæc nobilium
Indorum natio eſt, à ſuperioribus diſtincta,
qui Peruanis Hiſpanis hætenus reſtitêre) &
propterea quia Chiriguanes perpetuo eos
bello

bello in servitutem redigunt, Hispanorum
 gratiam ad auxilium sibi suppeditandum stu-
 dent aucupari. Huius linguæ interpretem in
 dies opperior: quamvis Tobarum, Mocouio- *Toba.*
 rum, atque Zapitalaguarum (tres sunt Prouin- *Mocouij.*
 ciæ innumeris populis refertæ) idioma non *Zapitala-*
 negligo; tum quòd hi magnâ aviditate in *gue.*
 Christianorum numerum adscribi expetant;
 tum quòd hæc sit multorum populorum ia-
 nua, quâ peruasâ innumeræ Prouinciæ pa-
 tent: tantumque his roboris ac virtutis inest,
 vt Chiriguanes, qui hætenus Hispanis resti-
 tere, hos sibi cauerint adoriri. Ligna ad Redu-
 ctiones in tribus hisce Prouinciis, sicut in Pa-
 raquariâ, faciendas cædi cœpta. Aliud est Chu- *Churuma-*
 rumatis idioma facile quidem, at gutturale *ta.*
 non nihil, quòd frequentissimè *chu, chu*, in eo
 recurat, certis particulis tempora, modos,
 numerosque distinguuntibus. Huius idioma-
 tis, vti & præcedentis, multa in dies in com-
 mentariolum refero. Quare spero fore vt eas
 propediem linguas calleam: tanto enim di-
 scendi ardore flagro, vt laborem vix perci-
 piam. Iuxta Churumatas, Orechones præ- *Orechones.*
 grandibus auribus degunt: quorum multitu-
 dinem roburque facile ex eo colligere licebit,
 quòd Chiriguanibus contermini, ab iis se in-
 demnes tueantur. Iam verò Tonocotzorum *Tonocota.*
 notitia adeò inter hos Indos certa est ac cele-
 bris, ac inter Hispanos Madriti. Duo Hispano-
 rum

rum gubernatores armatâ manu in hæsc Pro-
 uincias sunt ingressi. Hæreo, an exercitui me
 velim adiungere, quod mihi constet non illos
 animo eo proficisci, vt Indis detrimentum in-
 ferant, sed vt terræ dumtaxat explorentur. Nisi
 tamen multis me precibus adigant, delibera-
 rum mihi est inter hosce Tobias commorari,
 primæque Reductioni initium dare, ne tem-
 pus mihi aliquod elabatur, cû ita sim constitu-
 tus, vt id omne vtilissimè consumere ea me co-
 gât occasio, quâ benignissimus Dominus tot
 animarum salutem in meis manibus reposuisse
 videtur. In hisce etiam regionibus gentem ser-
 monè adeò terso vtentem reperi, vt elegantia
 ac nitore Latino parum cedere videatur: adeò
 copiosus est, vt quatuor Deum synonymis ex-
 primat. Particulæ ac verba sunt geminata: ita
 vt vehementer sim demiratus tam cultum
 idioma in gentem tam barbarâ reperiri: non ij
 tamen se barbaros arbitrantur: pro totius
 enim Indiæ generosissimis atque inuictissimis
 se gerunt: staturâ sunt adeò præaltâ, vt extento
 brachio eorum vix capita attingere possim:
 alacri comique ingenio sunt, atque incredibili
 in quiduis ex Europâ allatum auiditate ferun-
 tur. Horum regio Tarichâ amne alluitur,
 quem aliquot hinc leucis, is quem modò trans-
 misi, intercipit, adeò magnus, vt baltis sit traui-
 ciendus. Piscium mellisque copiâ, regiones hæ
 ceteras Indiæ partes superare videntur: multis
 etiam

*Tobiarum
idioma,*

statura,

ingenium.

*Taricha
amnis.*

etiam siluis abundant: adeò vt ex omni parte multa in iis promittantur. Hactenus Pater: Oforius: cui duos Patres, ne tanti res momenti intercidas, primo quoque tempore Socios destinare decreui, vt spolia ex tot animarum conuersione relata inter se diuidant, laborum ac difficultatum participes etiam futuri. Hæc de Prouinciis hisce recenter detectis hîc interfere constitui, quòd hæ litteræ inter annuas hæc conscribendas, hoc loco mihi fuerint allatæ. Nunc de Reductionibus agendum, vbi Prouinciæ totius situs fuerit adumbratus.

PROVINCIAE TOTIVS

SITVS AC DIVISIO.

CVM omnis huius Prouinciæ gloria in eo sit constituta, vt barbaras ferasque nationes, ad humanitatem Christi que suaue iugum reducat; quò id Europæis vtrumque innotescat, suauem reducendi modum, Reductionumque numerum, quas à paucis annis construximus, hîc adscribendum decreui: quippe qui ea loca omnia ex officio obiuerim: eaque quâ potero breuitate singula perstringam: ita tamen, vt nihil hîc desiderari patiar, quod ad plenam rei notitiam facere posse videatur. Atque vt id rectius fiat, ex historiæ lege, Prouinciæ huius situm ac magnitudinem subiiciam, tum vt clariùs ea, quæ modò dete-

C

cta

cta sunt, tum ea, quæ restant detegenda, cognoscantur: quantaque etiamnum hominum multitudo, in sempiternæ mortis umbrâ, atque infidelitatis caligine sit sepulta: tum etiam ut Tua Paternitas, & quotquot hæc litteras sunt conspecturi, suis nos precibus adiuuent, sicque vnâ in tantam animarum messem allaborent.

*Prouincia
fines.*

Itaque Prouincia hæc à Septentrione in Austrum non aliis terrâ terminis clauditur, nisi iis, quos sibi operariorum ardor constituit: mari verò vtrisque, illinc Boreali Oceano, hinc Freto Magellanico terminatur. Ab Ortum verò in Occasum, eam omnem terræ molem comprehendit, quæ inter Brasiliam Peruamque ac Chilense Regnum intercipitur. Quæ terræ vastitas quò clariùs percipiatur, sciendum Brasiliam ferè totam ob commercium in maris littore sitam esse, vixque ad pauca aliquot milliaria mediterraneas partes subingredi; Peruam verò Australis, maris littus cingentem, in eas se paullo magis recipere; sed eò ferè dumtaxat, quò auri aut argenti odor, in terræ venis sepulti, sagaces opum animos deduxit.

*Chilensis
regni longitudo &
latitudo.*

Regnum autem Chilense, quod à Peruuiâ Austrum versus progredienti occurrit, inter Australem Oceanum, montesque perpetuos ei parallelos, vsque ad quadragesimum sextum circiter altitudinis gradum, exiguâ latitudine, quadraginta leucas vix excedente, interiacet.

Itaque

Itaque Patres nostri animarum sagaces, subodorati ingentis huius Continentis penetralia hominibus maximè abundare, ea penetrare cœperunt: quoque id ordinatè procederet, Prouincia per se constituta est, cui scopus is esset præfixus, in quem collinearet, ut quidquid in iis animarum delitesceret, perscrutaretur: hancque Prouinciam Paraquariam à Paraquario præcipuo in eâ flumine nūcupauere.

Paraquarius fluvius, unde Prouincia nomen.

Hæc in genere dicta sufficiant: nunc ad particularia descendamus, videamusque quid in hisce mediterraneis locis, paucis sit ab hinc annis detectum, atque à Patribus nostris ad Christi cognitionem adductum. Itaque Prouincia hæc, quæ Paraquaria generali nomine appellatur, præter Tucumanicam, in quâ ferè Collegia sita sunt, in tres alias Prouincias subdividitur: in quibus plurima animarum milia, Patres nostri ex feritate ad humanitatem, ex infidelitatis tenebris ad fidei lumen, ex montibus ac nemoribus ad oppida populosque reducere. Oppida hæc seu Pagi, Reductiones, ab Indis in vnum locum reductis, appellantur. in quibus omnibus, si Patres exceperis, nullus degit Europæus. Hæc ad viginti excreuere, ex quibus ultimo hoc biennio undecim constructæ. Prouinciarum nomina hæc sunt: Parana, Guaira, Vriiaica, vulgò Vriiaig, de quibus singulis nonnulla dicam, ubi earum situm attigero.

Reductiones siue oppida Indorum
20.

Paraquarienses Prouincia.

*Argentens
fluvius,
qui & Pa-
rana.*

*Urbes:
Boni-
Aëris.*

*Sancta
Fidei.*

*De las
Corrien-
tes.*

*Paraqua-
rius unde
dictus.*

*Duo fluvij
confluentes
inconfusi.*

Ingens flumen, quod ab Argento sibi no-
men occupavit, vulgò *Rio de la Plata*, se in O-
ceanum exonerat sexaginta leucarum in fauci-
bus latitudine, eo ferè loco, quo polus Antar-
cticus sex & triginta gradibus supra horizon-
tem inclinatus conspicitur. Sexaginta à fauci-
bus leucis, vrbs Boni-Aëris visitur, nobili por-
tu ac frequenti commercio celebranda, nisi
Regio edicto portus foret occlusus, ne Car-
thagænæ in Mexico sitæ commercio officere-
tur. Hîc flumen Argenteum, nomen suum in
Paranam commutat, quod Indicâ linguâ ma-
ris cognatum innuit. Octoginta ferè inde leu-
cis aduerso flumine confectis, vrbs Sanctæ Fi-
dei conspicitur: aliisq; centum ac viginti leu-
cis superatis, ciuitas vulgò *de las Corrientes* oc-
currit, sic dicta, quia duo hîc flumina maxima
in vnum concurrunt, Parana scilicet ac Para-
quarium, vulgò Paraguai, quod patrio ser-
mone plumarum flumen significat; tum quòd
innumeræ variarum colorum volucres ibi
conspiciantur, tum quòd eius accolæ, auium
plerumque plumis induantur. Illud verò sine
appositâ notâ non videtur prætereundum,
quòd nimirum cùm flumina hæc eodè alueo
decurrant, singula tamen ad leucas aliquot,
distinctas suas aquas, rectâ ferè lineâ eas diui-
dente conseruent. Diceres Paranam vel vere-
ri, vel dedignari limpidissimas suas aquas, cum
turbidis Paraquarij vndis confundere. Flumen
verò

verò vtrumque multâ riparum amœnitatē in-
 umbratum est. Quadraginta ab hac vrbe leu-
 cis, aduerso Paranâ Reductiones nostræ du-
 cunt exordium, quæ vsque ad præcipitium
 Guairanum quinque omnino numerantur.
 Omnes verò Reductiones trium harum Pro-
 uinciarum inter vicesimum secundum & tri-
 cesimum sextum latitudinis Australis gradum
 interpositæ sunt. Reliqua igitur omnia à 36.
 gradu vsque ad Fretum Magellanicum, & à vi-
 cesimo secundo vsque ad Borealem Oceanum
 quoad latitudinem, multa quæ quoad longitu-
 dinem indetecta sunt in gradibus quoad lati-
 tudinem cognitis.

QUÆDAM REDUCTIONIBVS.

OMNIBVS COMMVNIA.

PRiუსquàm de Reductionibus hisce Singu-
 lis agamus, quædam iis omnibus com-
 munia præmittenda: quomodò nimirum A-
 postolicis ac perpetuis laboribus Patres in iis
 occupentur, quantusque ex iis ad Dei gloriam
 fructus exurgat. Singulæ hæ Reductiones, mil-
 le circiter Indorum familias coërcent. Familiæ
 autem nomine, præter coniuges ac liberos, se-
 nex vnus vel plures venire solent: quo fit, vt
 complura hominum millia singulas incolant.
 In his bini ferè Patres degunt, nisi cum ob eo-
 rum penuriam, vnicus in singulis esse cogitur.

*Quot ho-
 mines in
 singulis
 Reductio-
 nibus.*

*Lectio
mensæ
tempore.*

Patres hi temporis iuxta regulas distributio-
nem, quantum occupationes patiuntur, ex-
actè student conseruare, adeò vt neque eos le-
ctio mensæ tempore deficiat: eam enim Lati-
no vel Hispanico sermone puer aliquis lectita-
re solet, cuius vtriusque sermonis, cum neque
verbulum lector percipiat, ita tamen accura-
tè, distinctionibus vbique seruatis singula pro-
nuntiat, vt in magnam admirationem, volu-
ptate perfusam, audientes quilibet deducatur.

*Patrum
hic officia
& labores.*

Atque vltra rigidam hanc sui profectus sol-
licitudinem, aliud, sanè graue, omnium harum
animarum onus, eorum humeris incumbit.
Nam & Indorum alij ad fidem capeffendam
disponendi, alij in eâ iam susceptâ corroborân-
di, atque ad omnem Christianæ religionis
perfectionem adducendi: aliis præcepta fidei
atque humanitatis præscribenda: aliis Sacra-
menta administranda: omnibus ius dicendû:
omnium animi, corporisq; ægritudinibus
medendum, ac dehique nihil prætereundum,
quod vel ad fidem vel ad religionem spectat.
Nam quod ad animum attinet, miseris hisce
Indis præter Patres, ad summum duos, auxi-
liatur nemo; eorumque operâ deficiente, om-
nibus hisce æternum pereundum est. Idem de
temporalibus etiam, ac corporalibus, subditis
prospicere coguntur: Indis enim, his quibus-
cumque, vt indies viuere consuevère, nisi eos
coëgeris, nulla de crastino cura est. Atque ipsos
quoque

quoque Patres etiam necessaria ita deficiunt, ut vix paucis verbis possit explicari : nam in hisce Reductionibus panis, etiam bis coctus, aliunde allatus vix quotannis cōspicitur: adeo ut ego ad Patris Alphonfi Aragon Reductionem cum venissem, aliud nobis nihil apposuerit, nisi fabas aquâ purâ decoctas, quibus varias lances repletas iteratis ferculis repetebat. Denique quantum in hoc genere patiantur, ex eo confice: Duo ex Patribus nostris ante annos aliquot, alter Pater Martinus Xauier Nauarrus, satis propinquo consanguinitatis vinculo S. Xanerio deuinctus; alter Pater Balthasar Seña, fame hîc sunt enecti. Præter hæc intra barbarorum tela feritatemque, sexcentis mortis generibus in singula pænè momenta sunt obnoxij. Ipsis diebus ac noctibus omnis ferè quies adimitur; ut nisi supernis visitationibus, quibus affluunt, cælestique robore animarentur, sub negotiorum ac fastidij pondere, plerumque gembundi ruèrent.

Penuria rerum necessariarum.

P. Martinus Xauierius, & P. Balthasar Seña fame mortui.

Pericula, in quibus Patres versantur.

Sed his omissis, modum quo in regimine vtuntur, aperiāmus. Indos in vnum locum reductos, hominis nomen ac figuram tantum referentes, Patres paullatim ad Reip. formam adducunt. Consules, Prætores ceterosque ex iis publicos ministros designant, totamque communitatem ordinant, diriguntque. Delicta siqua deprehendunt, ea iuxta suam prudentiam ac facultatem, publicâ castigatione

Quomodo Reip. in Reductionibus constituant.

coërcent. Singulis terræ portionem designant, quam statis anni temporibus arari, seri, coli, metique iubent: frequentesque singulorum fata, vno vel altero milliari à Reductione distantia obeunt, inspecturi num singulis sit sufficienter prospectum, simulque an agricultura non negligatur. Boum etiam armentum Patres iubent asseruari, vt de eo egentibus succurratur.

*Magistratus quoti-
die ad eos
conueniunt.*

Cum Indis ex salutis aquâ renatis Patres diem ita solent cōsumere. In dies singulos vbi illuxit, Consules, Prætores, ceteraque populi capita, Patrem dum solitæ finem precationi imponat, præstolantur, rogaturi num quid vel ad necessariam Ecclesiæ reparationem, vel populi commune bonum ei proponendum videatur. Quibus dimissis, ij omnes conueniunt, qui aliquò iter affectant (nisi fortè ad villam suam sint profecturi, ad quam singuli se in dies conferre solent) facultatem ad id à Patre postulaturi: neque enim cuiquam licet, nisi ad villam suam, inconsulto se Patre recipere.

*Nemo sine
facultate
peregrè
abit.*

Quod certè magnum omnibus stuporem incutere debet, gentem nuper tam barbaram, nullis etiam naturæ legibus parentem, tam breui temporis decursu, Dei gratiâ aspirante, tam suavi modo ad tantam normam deductâ; vt inferiorum etiam in Europâ scholarum alumni, non tam obseruantes erga suos se Magistros præbeant; atque hi modò barbari erga

Patres

Patres legesque ab iis quasuis sancitas afficiuntur: nullus enim vel earum apicem, non tam ductus timore, quàm erga Patres obseruantia, infringere præsumit. Ita derepente Dei digitus ex saxeis cereos hominum animos efficere solet.

Interea temporis pueri omnes, nullo excepto, Christianâ eruditione imbuendi in vnum locum conueniunt: qui deinde in binas classes discriminantur: atque in earum alterâ legendo ac scribendo; in alterâ suppositis his principiis in musicâ arte ac fidibus tangendis exercitantur. Ex iis verò alij alios ex ordine informant. Vbi omnes sacro Missæ sacrificio interfuere, ad suas se domos recipiunt. Horâ à meridie alterâ dato campanæ pulsu, pueri omnes iterum accurrunt, itemque puellæ: his in loco à pueris seiuncto salutaria Christi dogmata exponuntur; illi ad matutina sua sese exercitia conferunt.

Pueri in catechismo, litteris, musicâ instituuntur.

Cùm pulsus triplex datur, ad Beatissimæ Virgini de Matris Dei honore congratulandum, repente populus, deposito tantisper opere, vnâ omnes voce sublata, flexisque poplitibus, magno affectu hymnum toti cælo gratissimum concinunt, variasque ex eo tempore adstrictas numeris preces, quibus Christianæ doctrinæ summa continetur, decantant, magnâ Patrum recreatione, ac laborum dulci sanè lenimine, considerantium, tam

Pulsus ad Ave Maria.

suaves Deo laudes cōcini ab eâ gente, atque in
iis locis, vbi paullò antè horrenda maximè sce-
lera patrabantur, seque alij alios deuorabant.

*Catechi-
smus grā-
diorum.*

*Concio.
Missa.*

*Indi musi-
cam docti.*

*Festa so-
lemnia.*

Secundò in hebdomadâ vniuerso populo,
nemine desiderato, diuina præcepta, & quid-
quid ad Christianam scientiam pertinet, ex-
emplis & comparisonibus, pro eorum captu
adhibitis, illustrantur, & propterea quia qui
longiùs ætate processere, laboribus vacare nō
possunt, senes anusque tertio in hebdomadâ
eadem audituri conueniunt. Dominicis, festis-
que diebus omnes concioni, Missæque inter-
sunt, quæ musicis vocibus, atque instrumentis
canitur, quibus mirâ Indi facilitate canere ad-
didicere, docente eos primùm fratre nostro
Ludouico Berger insigni citharædo, qui ab
annis duodecim, ex Gallo-belgicâ in hanc
Prouinciam commigravit. Celebrrioribus ve-
rò anni diebus, vt Natiuitatis ac Resurre-
ctionis Christi, Pentecostes, festis Deiparæ,
omnium Sanctorum, Venerabilis Sacramen-
ti, ac Sancti quoque Patris nostri IGNATII,
vel recurrente conuocationis suæ die, ingens
ab omnibus lætitia, ac plausus excitatur: so-
lentque aliæ alias Reductiones vicinas ex
caritate non fictâ, die solemnî suæ Reductio-
nis, humanitatis & communis lætitiae causâ in-
uitare: cumque suis Patribus quotquot in iis
degūt adueniunt. Eo die musici omnes se iun-
gunt, quibus aut voce aut fidibus canentibus,
tripudia

tripudia ad numeros instituuntur. Variis denique honestis animi relaxationibus tum Inditum inter se Patres diem illum consumunt.

In dies etiam singulos alter ex Patribus, cum duo sunt, (idemque semper, cum solus est) omnes Pagi domos concursat, inquirens, num quis ibi fortè æger decumbat. Quòd si quem offenderit, non ei dumtaxat spiritualis, sed corporalis etiam medicæ partes suscipiendæ. ^{Patres æ-} Patres enim ægris corporibus medicinas & quæ ^{grorum} animos [&] ^{corporum} ^{curant:} runt & applicant: iis cibum conficiunt, con-
diuntque: atque ad eò suis manibus ægrorum venas incidunt. Atque id est potentissimum medium, quo barbari eorum animi delinuntur. Nullâ enim ratione initio adduci poterant ut Patres domos suas ingredi, aut vxores vel intueri paterentur: donec labente tempore cognouère, quantò rebus suis Patres essent emolumento: atque ad eò eos iam ut ad se venire dignentur, præcipuè vbi eorum aliquis morbo affectus fuerit, multis precibus obtestantur.

Summi etiam iudicis vice Pater fungitur in ^{Iudicia ex-} litibus omnibus ac dissidiis sedandis. ^{ergens.} Quare vbi quid eis simile accidit, continuò ad eum magnâ fiduciâ recurrunt: tantâque est apud eos Pater auctoritate, tamque rectam de incorruptis eius iudiciis opinionem omnes concepère, ut quidquid in vtramvis partem statuerit, eò se citra refragationem aut oblo-
tionem

Vestes procurant.

tionem deduci faciliè patiantur. Neque verò Patribus cura est inter minimas reponenda, ut de vestibus genti suæ prospiciant: antè enim quàm reducerentur, omnino nudi multis in locis incedebant. Denique vno verbo omnia comprehenderis, si totius populi Patresfamilias eos vocitâris.

Puerorum institutio,

Iam verò parentes cùm filios suos legere, scribere, voce ac fidibus canere, ad numeros saltitare percipiunt, vix se præ gaudio cohibere valent. Cerneret aliis lacrymas præ gaudio excidere, alios Deo ac Patribus gratias agere, alios filiis suis de tam felici sorte gratulari; alios denique asserere se iam vlteriùs viuere nolle, quòd nullum aliud maius gaudium in hac mortali vitâ vel expetant vel expectent. Et certè pueri hi non parentibus modò, sed etiam Patribus permagnæ sunt consolationi: mirum enim in modum sunt dociles: & quia omnes animi vires in eo quod imperatur contendunt, faciliè quiduis vel quod ad artem, vel quod ad mores spectat, in iis efformatur. In nullo hosce pueros Societatis tironibus ab similes esse diceret. Corpore vultuque composito, oculisque plerumque in terram deiectis incedunt. In eorum fronte verecundia emicat. Quemuis de Societate, etsi aliàs numquàm à se conspectum, incredibili affectu ac reuerentiâ prosequuntur, & ad minimum eius nutum obtemperant: solentque in hoc adeò esse exerci-

disciplina,

praclari mores.

exercitati, ut frequenter præcipientem præue-
 niant. Crebrò delicta per confessionis Sacra-
 mentum deponunt, ob minimas etiam culpas *rara pie-*
 copiosum lacrymarum imbrem profunden-
 tes : sacrâque omnes communione reficiun-
 tur, nisi ob immaturam ætatem ab eius susce-
 ptione arceantur. Præter rosarium, statas alias
 preces in diēs recitant, teneroque animi affe-
 ctu in cæli Reginam feruntur. Minimum semel *præcipue*
 in septimanâ flagello, semelque cilicio in sua *in D. Vir-*
 corpuscula sæuiunt. Eâ sunt animi puritate, ut *ginem ;*
 feminas quasuis, etiam matrem, continenter *in sese se-*
 defixis in terram oculis alloquantur. Hi fide-
 lissimi sunt exploratores atque indices, qui vbi *castitas,*
 delinquentes ipsi suis sunt verbis infectati, pec-
 cata, rixas, ceteraque omnia quæ in populo cõ-
 tigere, continuò Patribus indicant. Quocircâ *zelus glo-*
 à nullis malefici magis, quàm ab his pueris ab-
 horrent : neque enim hi quidquam norunt,
 quod non statim ad Patres deferant. Quin et-
 iam ipsæ matres, dum de delictis confitentur,
 ac de aliquo delicto interrogantur, in hunc sæ-
 pè modum respondere solent : Non admisi
 quid tale : nam filius meus de eo me commo-
 nuisset. Denique hoc verè semen est cui bene-
 dixit Dominus. Faxit Deus, ut pueri hi, quo
 vitæ tenore cœpère, eo pergant, eumque num-
 quàm dimittant: quo fiet, ut aliquando regio-
 nes hæ, Deo cooperante, ex barbarissimis ac
 flagitiosissimis, in cultissimas atque omni pie-
 rate

tate florentissimas euadant. Hæc ferè sunt quæ, quod ad Reductiones in genere spectat, significanda putavi; quòd in iis omnibus hæc quæ modò dixi locum habeant. Nunc de iis in particulari dicamus.

REDUCTIO S. IGNATII

IN PARANA.

*Municipium S.
Ignatij.
Tibiquari
annu.*

*S. Ignatij
municipii
probitas.*

*Pærorum
in pœni-
sentiis ul-
trò susci-
piendis
feruor:*

ESt hæc Reductio Paranensium antiquis-
sima, propter amnem Tibiquari sita; dis-
sitã verò à Parana flumine leucas non amplius
quatuordecim. Huius Reductionis incolæ
Christi legibus viuunt omnes, atque in iis altas
iam nunc radices fides egit, quam in iis viuere,
facile ex operibus cognoscitur. Nam ex tantâ
Indorum multitudine, nemo vnus reperitur,
qui turpis alicuius ac illicitæ consuetudinis
reus infimuletur. Quod quantum sit, is facile
iudicârit, qui oculos in impurissimos illius
gentis mores, à nullo fœditatis genere paucis
antè annis abhorrentes, coniecerit. Neque vi-
tia dumtaxat defugere, sed piis etiam operibus
vocationem suam certam efficere satagunt.
Nam iteratis aliquot in hebdomadâ vicibus
obseratis templi valuis, complures in eo car-
nem suam flagris affligunt. Diebus verò Ve-
neris, in Christi tormentorum memoriam,
pueri omnes ad templum, exemplum aliquod
à Patre referendum audituri, conueniunt: cui
fine

fine imposito, scuticâ omnes manus obarmât,
 dequæ suis armis sanguinea spolia sui victores
 referunt. Acciditque subinde tempestate per-
 frigidâ, vt Patrem grauioribus negotiis dis-
 tentum, diu essent præstolati: cumque is, horæ
 exemplo referendo præfixæ memor, per quæ-
 dam eos iussisset commoneri, vt confestim ad
 suas se domos referrent; allato nuntio disces-
 sere, sed non antè quàm benè longo temporis
 decursu, de se ipsi pœnas sumpsissent. Quòd si
 in hisce piis operibus tam constante animi in-
 ductione, per anni decursum ipsi se exercitare
 solent, at tum maximè seuerè in se animaduer-
 tere solent, cùm Ecclesia Christi tormenta
 nobis recolenda proponit. Nam solemnè pri-
 mùm supplicatione, ad pœnas cum Christo
 subeundas institutâ, ei initium plus octoginta
 dedere, qui, ceteris omnibus magno pietatis
 sensu comitantibus, plateas suo sanguine re-
 persere: fuitque ex iis puer, qui diebus istis,
 vultu pallore suffuso, lacrymanti similis, à Pa-
 tre conspectus, interrogatusque quidnam eum
 afficeret, cùm robore atque alacritate ceteros
 sibi æquales superaret; ex intimâ animi com-
 motione responderit, pœnas Domini sui in
 memoriam redactas, eam in se commutatio-
 nem fecisse. Cui Pater fidem eò maiorem ad-
 hibuit, quò de pueri in pietatem ac virtutem
 omnem propensione iam antèa ei satis consti-
 terat. Eo sunt in Virginem Matrem affectu, vt
 solitam

*Præcipue
 septimanâ
 sanctâ.*

*Sensus
 passionis
 Christi in
 puero.*

*In D. Vir-
 ginem pie-
 tas.*

solitam eius euoluendis globulis salutatio-
nem, ne in morbo quidem, vlllo die intermit-
tant. Quidam ex his Indis Hispano hero, in
Assumptionis vrbe degenti (nam in his, vt dixi-
mus, Reductionibus nullus Hispanus com-
moratur) labente bimestri inferuierat. Solebat
herus postmodum referre, hunc, nullam Dei
à domesticis offensiunculam, eo tempore quo
apud se degerat, irreprehensam abire permi-
sisse; at ardenti zelo æternis inferorum ignibus
propositis, solitum in delinquentes inuehi.

REDVCTIO B.^{MÆ} VIRGINIS

AB INCARNATIONE,

I T A P O A N A.

*Municipiū
Itapoanū
ceterarum
Reductio-
num di-
uerforium.*

DVodecim vlteriùs leucis, Reductio Bea-
tissimæ Virginis Itapoana constructa est,
quæ ab Incarnatione sibi nomen deduxit. Hæc
Reductio nouis Reductionibus permagno est
emolumento: nam & de bubulâ & pane etiam
biscocto iis solet prospicere. Et certè, hæc reli-
quarum diuerforium meritò appellari potest,
quòd Patres Indi quæ vltro citro quæ com-
meantes, ad hanc diuertere soleant: imò & ge-
neralis cuiusdam Xenodochij, & Nosocomij
vices obit. Nam incolæ, primitiæ Ecclesiæ
speciem aliquam referentes, Indis quibusuis
sua omnia ex sincero caritatis affectu suppe-
ditant:

*Incolarum
caritas.*

ditant: & qui Indorum omnium Paranensium robustissimi ac bellicosissimi habebantur, nunc gladio verbi Dei ancipite subacti, feritate ac ferocitate deposita, omnibus prebent mansuetudinis & caritatis exempla. Quod non diu ferens humani generis hostis, Caci-quo cuidam incantatori subiecit, ut tumultuosam contra Patres concionem aduocaret, atque in hunc maximè modum ad eos verba faceret: Memores essent sui roboris ac virtutis: hætenus se omnibus terrori fuisse; nunc verò de genere animo, ab vnico homine extraneo, peregrinas fabulas proponente, insigni vel stoliditatis suæ notâ, vel nominis sui iacturâ, ad quiduis deduci se sinere. Iubet etiam mendacij parens eum suis prædicere, fore ut, si Patrem expellant, omnis terra eorum imperio ac nutui subiiciatur, Patresque omnes eo sibi modo reddant obsequentes, sicut ipsi nunc iis obtemperabant. Quâ re in vulgus disseminatâ, nonnulli seditionem moliri meditabantur: sed ut ea res ad bonorum aures peruenit, ij Patres illicò eius rei certiores fecere: estque maleficus in vincula statim coniectus, in eumque rigidè animaduersum. Cui, hac castigatione, sociis verò eius exemplo timor non levis est iniectus.

*Seditiosus
impostor
compressus.*

Neque tamen Itapoanis inuictum corporis robur, atque animi magnitudo omnino sunt inutilia: hi enim vel ad aliarum Redu-

D

ctio-

*Itapoani
fortissimi
Patribus
auxilio
sunt.*

tionum Indos in officio continendos, vel ad nouas nationes detegendas, reducendaſque, multum cum Patribus allaborant: atque vt Patribus tutum iter præſtent, ad quos ſuis labores & pericula ſubeunda, quin etiam ad mortem ipſam oppetendâ, magnâ ſe animi promptitudine præbent. Erant in Vrûaig nonnulli, qui nō tam facilè à Patribus Euangelij iugum ſuis ſinebant ceruicibus imponi: hoc audito, Itapoani, nuntio ad eos miſſo, in hunc iis modum ſunt comminâti: Inaudiſſe ſe quosdam inter eos verſari, qui ſanctiſſima Patrum dogmata calumniarentur, neque ab iis, eâ quâ par eſſet facilitate ſe reduci paterentur. Quare ſi non queſtigio ad omnem Patrum nutum ſe reduci ſinertent, eò ſe venturos, atque illos, ſed non eâ quâ Patres ſuanitate, reducturos. Præſt his Pater Petrus Boſchere, qui ob eximiam ſuam in eos caritatem, Catonianâ pluſquàm auctoritate permixtam, ab omnibus iuxtà amatur ac timetur. P. Andréas de la Rua eius Socius duas illic textrinas inſtituit; ad veſtes ex goſſipio conficiendas, quibus Indorum nuditas contegatur.

*P. Petrus
de Boſche-
re Belga.*

*Textrina
iſthic inſti-
tuta.*

Reductioni huic colophonem imponam, piſſimâ ſanè actione, quam Indi hi anno præterito permagnâ meâ conſolatione exercuere. Cùm Reductionem hanc ex officio viſitam, vehementer apud me Patres inſtitere, vt in templo ſanè pera mplo, de meâ facultate, SS.

Eu-

Eucharistiae Sacramentum collocaretur: quod id nimirum Indi maximopere appetent. Dixi optare me, ut mihi de tam vehemente eorum desiderio constaret. Quod ubi Indis indicatum est, Caci quij ad me cum omni omnino populo confluxere, atque in conspectu meo, vniuersi in genua prostrati, clamoribus, gemitibus, aliisque incredibilibus signis affectus, instare coepere, ne eam sibi Domini sui praesentiam aut denegarem, aut differrem; omnem se operam daturus, ut debitam tantae maiestati reuerentiam exhiberent. Hic a lacrymis, ut maximè vellem, temperare mihi vix poteram: desiderium tamen, quo tenebar, tam iustae eorum petitioni satisfaciendi, dissimulabam: tum ut tanto solatio, ex tam grato spectaculo profecto diutius perfruerer; tum praecipue, ut eorum desideria hac dilatione magis magisque inflammaretur. Preces ipsi suas interim terrae affixi ex intimo animi affectu prosequabantur. Ego verò, quem vehementius orationis eius rei desiderium tenebat, dixi me, eo consilio aduenisse, ut iis omne solatii genus praeberem: me Vriuaig iam petere, ac breuè me illac rediturum. Illi interea temporis tertio in hebdomadâ congregarentur de huius mysterij fide, ac modo, quo cum tanto hospite iis esset agendum, dicentem Patrem audituri: ubi rediissem, si intelligerem frequentes ei doctrinae interfuisse, ac eam, quae sufficeret, eius mysterij

*Indi Ven.
Sacra-
mentum
in suo tem-
plo asser-
uari expe-
tunt.*

notitiam adeptos esse, fore ut iis morem gererem. Incredibili hinc omnes lætitiâ subsiliere, ac certos habendæ doctrinæ dies illicò constituere: ac deinde curâ, diligentiâ, & feruore mirabili, præfinito die concio aduolauit, nullo se desiderari passo. Primus ad eos per interpretem dixi. Pari deinceps à meo discessu diligentia tum viri, tum feminæ statis diebus conuenire. In reditu solemni examine instituto, periculum feci eorum quæ absente me didicerant: atque ex omni parte ad eò satisfacere, ut in magnam eius rei admirationem venerim. Nam tantum abest, ut adultos mysterij huius cognitio præteriret, ut etiam pueri puellæque quintum aut sextum ætatis annum agentes, tantas huius mysterij congruentias adferrent, ut clarè eluceret, ab illo eos doctos cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum.

Diem itaque quo tantus hospes eo quo par est præparationis conatu reciperetur, præstitui. Musici in illū diem ex vicinioribus Reductionibus conuocati: plateæ arborum ramis conuēstitæ: arcus triumphales excitati: supplicatio solemnis magno omnium pietatis sensu instituta: tanto denique gaudio ac plausu dies ille consumptus est, ut etiam cultissimis quibusque Europæis, in incultis his locis hæc contemplantibus, admirationis materia ne utiquam deesset. Præsentia Angelici cibi, sui famem confestim atque auiditatem excitauit.

Ab

Id mysterium per pulcrè omnes intelligunt.

*Solemniter id permisum à P. Prouincia-
li.*

Ab eo enim tempore frequentiores, ac longè maiori præparatione adhibita eo sunt resecti.

Alter etiam non exigens fructus hinc pullu- *Euchari-*
lauit: nam cùm antea templum, nisi vt Missæ *stia noua*
concionisve interessent, ingredi non assueuis- *maiorq;*
sent; iam bona temporis pars iis in templo de- *veneratio.*
currit, maioremq; indies cum suo hospite familiaritatem ineunt: atque adeò tantam hu-
ius Sacramenti reuerentiam pòpulus hic con-
cepit, vt pueri iuxta ac senes, non solùm dum templi valuas prætergrediuntur, in genua pro-
cidant, sed in ea etiam procumbant, cùm è fe-
nestrarum aut portæ regione, etsi in loco mul-
tùm dissito, transeunt. Amplius dico, cùm à
villis Indæ, suorum satorum ortu, incremento,
aut fructu inspecto, aut collecto, redeunt; ad
primum templi aspectum, licet onustæ ince-
dant, consistunt: atque humi genua ponunt
puerulosq; suis vix pedibus insistere valentes
idem facere iubent. Ac suauissimo sanè spe-
ctaculo puerulos in plateis videas, matrum la-
teri adhærentes, neque valentes sine alterius
auxilio gressum figere, in genua se tamen conii-
cere, at sic vsq; frequenter toto in terram cor-
pusculo prolabantur. Ita prono prius corpore
quàm animo conditorem suum venerantur.

Hanc etiam tanti hospitis præsentiam ma- *Hinc mo-*
gna morum mutatio est subsecuta. Nam Indæ *rum secu-*
complures ad scelus perpetrandum à nefariis *ta muta-*
hominibus instigatæ, memores se viua tantæ *rio.*

maiestatis templa fuisse, fortiter se ad orientibus testitère, his ferè verbis flagitiosorum hominum lasciviam singula repellentes: Non te pudet, ô flagitiosissime, tam fœdo corpus tuû scelere contaminare, in quo omnis fons puritatis inhabitare dignatus est? Quam verò omnes consuetudinem habebant, incruento Missæ sacrificio antequàm matutino tempore opus aliquod aggredirentur, in dies singulos assistēdi, eam nunc multâ pietate cumularunt.

R E D V C T I O C O R P O R I S C H R I S T I.

*Municipiū
Corporis
Christi.*

*Mirabilis
incolarum
& subitæ
conversio.*

DVodecim leucis ab hac, quam modò diximus, Reductione, abest alia, quæ à sacratissimo Christi Corpore sibi nomen vindicauit. Copiosam sanè laborum suorum messem Patres hic collegere. Nam innumeris pænè difficultatibus deuoratis, per breui temporis intervallo, relictis dæmonum signis, abiectâ omnium cunctatione, ad vnum omnes, ad Christi tropæa confugere, statimque (quod nemo satis in hisce gentilibus demirabitur) omnem vxorum turbam, ætate ac formâ florentem, cum quibus ab adolescentiâ cohabitauerant, à se quisque amandauere, vnicâ dumtaxat, ex sacrâ matrimonij lege, apud se retentâ.

Sed vt clariùs constet hanc tam subitam in bonum conuersionem, Deum sibi soli vt auctori

Etori adscribere voluisse; ad eum finem consequendum, primos ipsos Neophytos ad se iam iam conuersos, ad aliorum vitam in melius commutandam vt machinam adhibere decreuit. Erant enim inter eos nonnulli, qui ad eorum limina, quos dæmonis nouerant laqueis irretitos, contentâ sic voce lamentarentur: **Heu cæcitatem, ac duritiam cordis! Prô miserum ac lamentabilem statum eorum qui ædes has incolunt! Ac verbi Dei præcones effecti, ad incolas sermonem suum hunc in modum deriuabant: Heu! fratres carissimi, quæ vos infania agitat? En Deus se legemque suam per ministros suos vobis manifestauit. Lex Dei immaculata, omnem corporis atque animi labem vetat. Cauete vestris immunditiis, iustam Dei iram; sempiternasque pœnas iis promeritas concitare. Attendite æterna præmia, quæ omnium Creator ac Dominus à lege suâ non decedentibus, tantâ liberalitate proponit. Vos ipsi vel perpendite quanta in flagitiis vestris fœditas ac prauitas reperiatur.**

*Cines suos
à peccatis
insolito zelo
reuocât.*

Eminebat inter hos verbi Dei prædicatores, Caciuius quidam præcipuus, Principis Apostolorum nomine insignitus, qui Guaranici idiomatis, quod sanè perelegans est, meritò ab omnibus disertissimus habebatur. Hic tanto diuini honoris augendi, ac fœdæ libidinis exterminandæ zelo erat incensus, vt intempestâ nocte plateas obiens stentoreâ voce intoneret:

*Petri disertissimè
Caciuij
felix zelus.*

naret: Væ iis qui in flagitiis volutati, securum sibi manè pollicentur! Eia fratres, relictis viti-
 tiorum tenebris, diuinam lucem, quæ nobis af-
 fulsit, intuemini. Nolite maiorum nostrorum
 more, in æterna inferorum incendia præcipi-
 tesagi. Hæ voces cum energiâ prolatae, ac Dei
 spiritu adiutæ, sæpiusque decantatae, audien-
 tium animos ita peruasere, vt breui temporis
 spatio, dimissis vxoribus ceteris, ac retentâ
 apud se legitimâ, sacro omnes sint fonte lustra-
 ti. Neque etiam nunc nouus hic Euangelij
 præco, à suscepto officio desistit: nam ob eam,
 quâ apud omnes est, auctoritatem, quâ publi-
 cè, quâ priuatim aliis salutaria consilia propo-
 nit; alios, Dei timore incusso, à vitiis deterret:
 omnis denique vel morum in melius commu-
 tatio, vel reuerentia quam erga Patres aut res
 sacras populus exhibet, vni ferè Petro Caci-
 quio adscribenda. Pater Petrus Aluares ob
 certam causam verbis fuerat acrius in quos-
 dam inuectus: quod vbi ad aures huius Caci-
 quij peruenit, illos omnes, qui ei rei ansam de-
 derant, ad Patrem deduci imperat, omnem-
 que simul populum conuocari: qui vbi conue-
 nère, reos se ad Patris pedes abiicere, ceteros
 verò omnes in eius amplexus ruere, manusque
 exosculari iussit: ipse verò Oratoris sibi parti-
 bus reseruatis, præsentibus omnibus, de-
 prompto intimo animi sensu, in hæc verba
 prorupit: Memento Pater nos filios tuos esse.

Quòd

Quòd si quis inter nos existit, qui non tanto sit animi robore præditus, eò sit quòd dies ignorat. Modò hoc loquendi patrio innuunt plenam nondum officij sui cognitionem aliquem attigisse.

Dies ignorare
quid iis
significet.

Alio quodam tempore ob crimina nescio quæ Patres non leuiter indignati, discessum simulauerant, & quibusdam indicarant se perfectionem moliri, eò quòd frustrà illic tempus absumerent, se apud alios meliùs operam locuturos, qui Christianâ religione informati, nequaquam ampliùs sceleribus eam polluerent. Quod ubi in vulgus emanauit, magnâ omnium lamentatione exceptum est: statimque de communi omnium consilio omnis ætatis, sexus, & conditionis homines ad Patres concurrere. Ibi senes se in genua prouoluere: ibi pueri ac feminae vbertim lacrymas profundere: ibi omnes in terrâ prostrati vnâ voce deprecari, ne se orphanos Patres relinquerent. Quem enim alium tam præclarè institutæ Reipub. quem religionis, morumque curam inculcatum? ut erga eos, qui dæmonis fraudibus inducti deliquerant, nollent commiseratione affici, saltem innoxios miserarentur. Patres simulantes eo se spectaculo commotos (& verè eos commouere poterat, si seridè de discessione egissent) exaggeratâ verbis Dei offensâ eos dimisere.

Patres
abire se
velle simulantes
quo studio Indi
placari.

Quid verò hîc dicam quantâ veneratione

D 5

Sacra-

*Missæ ne-
glectus à
pueris in
sodali pu-
nisus.*

*Domini-
cus dies,
Verus
dies, ab iis
appellatur.*

*Paiguazu,
id est ma-
gnus Pater,
dictus ab
iis P. Pro-
uincialis.*

Sacramenta, quotidianamque immaculatam Agni immolationem prosequantur. Ex puerorum facto, de adultis coniicies. Puerulus nondum decimum ætatis annum attingens, Dominico die à sacro Missæ officio abfuerat. Quam notam toti suæ ætati inustam, æquales minimè ferentes, puerile suum in foro tribunal statuunt: quò ubi omnes confluxere, ibi reum in medio sistunt, atque cum pro se quisque conspuit, variasque in eum calumnias coniiciunt, dæmonis eum filium appellantes: denique verberibus ac pugnis nõ leuiter oneratum dimittunt: rogantibusque adultis, quæ tanta esset in foro causa tumultus, alij puerum inferno oriundum, alij dæmonis mancipium, se ex cœtu suo proscripsisse respondent: quippe qui Vero die, ita Dominicum appellant, Missam fuisset ausus omittere. Atque hoc exemplo ad posterum temporis memoriam tam insigni, tum in puerulo illo, tum in ceteris omnibus mirum quantum Missæ existimatio accreuerit.

Accuratè etiam Indi hi obseruant, quæ eis præcepta, dum locum illum visitarem reliqui, Scribuntque ad me Patres, eos se promptissime exhibere, ad omnia, quæ Paiguazu. (ita Patrum Prouincialem appellant, significaturque magnum Patrem) iis nomine proponuntur. Vestigium in iis nullum relictum est ebrietatis, tumultus, aut superstitionum, quibus antea erant mancipati: sed magnâ Patrum industriâ,

dustriâ, iis iam nunc Christianis moribus ac doctrinâ sunt imbuti; ut non in fide tirones, sed iam diu exercitati in rebus sacris pugiles videantur. Hoc anno de meâ sententiâ, in locum situi magis opportunum populus commigravit, in quo templum, Patribusque domicilium exædificarunt. Textrinæ gossipij duæ hîc institutæ, quibus & corpora conteguntur, & omnium animi capiuntur.

*Aliud mi-
gravit to-
tum oppi-
dum.*

*Textrina
instituta.*

REDUCTIO S. MARIÆ

IN IGVAZU.

ContinuatO, aduerso semper Paranâ, navigationis cursu, post leucas triginta amnis in eum influit, cui accolæ nomē Iguazu (quod magnum fluvium indicat) imposuere; nec tamē nisi ad leucas quatuor navigari potest: ex præaltâ enim rupe se ipse fluvius, ingēti aquarum murmure, præcipitat, tantâ aquæ copiâ resiliente, ut nubes eo loco perpetua, à quatuor facilè leucis conspiciatur. Quare præcipitium pedestri itinere superandum. Ac tribus ab eo leucis, S. MARIÆ Iguazuanae Reductio se aperit, quam Iguazu amnis leucæ latitudinem continens præterfluit. Cælum illic salubre: solum fertile quidem, sed quia siluæ id ubique occupant, alendo pecori non sufficit. Quare & carnis, & piscium, quibus flumen caret, eò quòd à dicto præcipitio arceantur, per-

*Iguazu
magnus
fluvius.*

*Iguazant
municipi-
um.*

magna

magna illic penuria est : limacibus dumtaxat
Incolarum ac paucis terræ frugibus vescuntur. *Incolæ sunt*
statura & staturâ prægrandi , viribus robustis , indole
indoles: blandâ ac docili: magnaque est in iis ad Euan-
 gelij susceptionem dispositio, licet incredibili
 patientiâ ac prudentiâ, ad eos subigendos sit
 opus; neminem enim superiorem vnquam
 agnouere: cauendumque illud in primis initio
in filios fuit, ne pueri vel attingerentur (quod omni-
suos tener bus nouis Reductionibus commune est) eò
affectus: quòd incredibili affectus teneritate in prolem
 ferantur: sed sensim sine sensu, delictorum ca-
 stigatio inducitur : initio enim statuarum ad
vestitus: instar, ad omne mandantis imperium se im-
 motos præbēt. Masculi impuberes nudi omni-
 no incedunt: annos verò pubertatis egressi,
 variorum colorum plumis, eas solas corporis
 partes contegunt, quæ seruato decore detectæ
 manere non possunt. Feminae verò cuiuscum-
 que ætatis nullo prorsus velamine vtuntur:
frugalitas. quamquàm vt in Patrum conspectu versan-
 tur, verecundiam induere incipiant. Maximâ
 sunt in cibis frugalitate, neque se aliorum in-
 star inebriant. Diuturnas verò inter se nequa-
 quam dissensiones alunt.

Iguazana
Reductio-
nis initium.

Hanc Reductionem fundauit anno sæculi
 huius vigesimo sexto P. Iacobus Beroa Assum-
 ptionis Collegij Rector, qui quòd iam secun-
 dò idem aliàs tentauerat, aptissimus ad id con-
 ficiendum videbatur. Is totam rei seriem ita
 descri-

describit: P. Iacobus Alfaro, & P. Paulus de
 Benauides, quos R. V. in Missionum subsidium
 miserat, mecum Itapoanam, & Christi Cor-
 poris Reductionem attigere, vbi summâ amo-
 ris exhibitione fuimus accepti. Simul atque
 Indis constitit, me ad Iguazu tendere, complu-
 res ex iis magnâ animi alacritate se mihi comi-
 tes obtulere. Atque ego vtendum animis, dum
 eo ardore calerent, ratus, sociis ex iis mihi
 nonnullis adiunctis, duobus Patribus iter
 suum aliò prosequentibus, in Acaraig locum
 Beatissimæ Virginis nomine insignè me con-
 tuli: vnde Socio Patre Claudio Roier mecum
 assumpto, comitante nos Caciquio Saüle Ta-
 uacambi, ex maximo in Paranâ Euangelij
 persecutore, nuper à R. V. in alterum præne
 Paulum conuerso, iter ad Iguazu direxi. Igu-
 zuani, vbi de aduentu nostro certiores fuere
 facti, inter pocula (vt in rebus magni momen-
 ti solent) concilium iniuere, an nos ad collo-
 quium essent admissuri. Atque vt maiore res
 celebritate perageretur, adolescentem quem-
 dam caprium, horrendis pro more cærimo-
 niis interfecerant. Quò tamen diuinam boni-
 tatem magis omnes obstupescant, inter illas
 ipsas Dei offensas nos admittendos censuere:
 quòd vt aiebant (vt mihi postea retulere) à
 triennio, quo ab iis fueram repulsus, Deum si-
 bi infensum essent experti; propterea quia in-
 gens illos lues inuaserat, eosque omnes absum-
 pserat,

*Saul Ta-
 uacambi
 fidei perse-
 cutor, mox
 propaga-
 tor.*

*Iguazani
 anthropo-
 phagi Pa-
 trem ad-
 mittunt,
 & quare.*

pletat, qui tum temporis auctores fuerant, ut
 me non nisi armati reciperent. Canoas itaque
 propensâ voluntatis significatione, ad præci-
 pitum usque in occursum nostrum misere, si-
 bi nobisque aduentu nostro gratulati. Die in-
 sequente ad vicum quemdam frequente po-
 pulo refertum peruenimus, vbi Caciquius
 cum omnis sua nos gente præstolabatur. Dixi
 R. V. amore quo in eos ferebatur impulsam,
 nos ed misisse, ut verum Deum orbis condito-
 rem ac Dominum, eiusque Filium IESVM
 CHRISTVM Redemptorem nostrum iis in-
 dicarem, ut aspirante eius gratiâ, peccati ac
 dæmonis excusso iugo, in veram filiorum Dei
 libertatem vindicaretur: ceteraque eis fidei
 mysteria eâ quâ potui breuitate & claritate
 exposui: addidiq; ad perfectam rerum har-
 um notitiam consequendam, necesse esse, ut
 Patres veri Dei ministros admitterent, atque
 in vnum locum cum alijs reduci se sinerent.
 Magnâ me dicentem attentione sunt prose-
 cuti: Caciquiusque nobis gratiis actis, excepit,
 se lubenti animo Reductionem facturum: ac
 postea certatim pro se quisque munuscula ad
 nos detulere: atque ego vicissim res aliquot in
 eos exigui momenti distribui, quibus mirum
 in modum fuere gaudi. Sed præcipua in Re-
 ductionibus constituendis in eligendo loco
 difficultas sita est. Nam singuli Caciquij se ed
 facile adduci patiuntur, ut Reductionem in
 terris

PROVINCIAE PARAQUARIÆ. 63
terrīs suis extrui sinant, sed ad alium locum
demigrare recusant. Itaque ut ad alterum lo-
cum veni, is nobis aptior visus est ad Redu-
ctionis ibi situm collocandum, non minore
horum lætitiâ, quàm priorum hospitem mor-
ore.

Postero die Caciquius Taüpa, qui totâ illâ *Reductio-*
orâ præcipuus habetur, & quasi ceterorum *ni: illius*
Dominus, magno apparatu, plurimisque ca- *principiū.*
nois flumen contegentibus, nobis obuiam fa-
ctus est, ut nos ad suos duceret, ibi Reductio-
nem constructuros; cumque ei aduentus mei
causam exposuissem, cæpi cultros, hamos, at-
que id genus alia in singulos distribuere: ac
nescio quâ Dei providentiâ; eâ re, cuius causâ
venerat, ex Taüpæ memoriâ deletâ, sacrum ibi
Crucis tropæum iereximus. Quo semel erecto,
ceterorum Caciquiorum, Taüpæque in primis
preces, qui nos singuli ad locum Reductioni
aptum apud se captandum inuitabant, con-
stanter reiecit.

Verfabatur in his locis incantator insignis *Ferox in-*
cuius non modò in Paranâ, sed etiam in *cantator.*
Vrûaig nomen multum erat, cui dæmones va- *conuersus.*
ria modò Angelorum, modò tigrium specie se
sistebant. Hic omni flagitiorum genere co-
pertus, dæmonis speciem præferens, ita toto
corpore depictus, plumisque amictus erat,
horrendasque voces iactans, in nostrum con-
spectum & colloquium venit, ut inani verbo-
rum

rum strepitu nos à cœptis deterreret. Sed adeò consuetudine nostrâ ac facilitate ferocia eius emollita est, vt se ipse cum suis quàm primùm reducerit, & tum exemplo suo, tum adhortatione plurimos ad idem faciendum incitârit. Aliis etiam compluribus magnæ apud suos auctoritatis Indis dæmon vt machinis vsus est, quibus nos deturbaret: sed illa ipsa dæmonum instrumenta in suum Deus vsum conuertit: nam ij postea ex infensissimis nobis addictissimi facti sunt.

Varia dæmonis machina elusa.

Mulier quædam se Dei matrem dictitans miras hîc turbas excitauit: sed ea à Dei matre Virgine MARIA, in cuius nos fidem & clientelam coniecramus, facile negotio fuere compositæ: adeò vt quatuor mensium spatio confecto, familiæ ampliùs quadringentæ in communem vitæ societatem fuerint adductæ. quælibet autem familia, cùm primùm reducuntur, præter virum, vxorum turbam ac liberorum, senesque subinde plures atque anus comprehendit. Dæmon igitur aduertens se non posse nobis obistere, barbarum quemdam induxit, vt nobis vitam eriperet: sed nefarium eius conatum Indus alter repressit. Caciquius erat ducentarum familiarum caput, nomine Paraue-ra, quem variis modis ad nos fueramus alligere conati: misimus tandem ad eum Caciquium Taupam, quæ comitatus huc aduenit: atque vterque R. V. maximopere se deuinctum sentiens,

tiens, ob insignem vestem, quâ vtrumque donavit, sibi hîc domicilium exâdificarunt. Hæc P. Beroa.

Non tamen possum omittere, quin hîc intericiam, vtrumque hunc Caciquium magnâ in Patres ac res sacras animi propensione ferri. Parauera filiis suis nomen meum imponi voluit: Taüpa multis precibus à Patribus contendit, vt filius suus natus maior in eorum conuictum admitteretur, vt vnâ cum ætate, humanitatis, atque in res sacras affectus incrementa caperet. Adolescens est egregiâ sanè ac præclarâ indole, qui mortuo parente, eius locum ac potestatem occupabit. Cum populum hunc ætatis adhuc infantis visitari, inter cetera gratulationis signa, duo pueruli festiuo me acroamate, Hispanico sermone contexto, excepere, cuius neque hi, neque Indorum quispiam vel apicem percipiebat. Ille verò eorum in me amoris effectus non exiguus fuit. Iter mihi ad eos venienti ad leucæ vnius interval- lum per silvas aperuere.

P. Beroa litteras suas ita profequitur. P. Claudius Royer Burgundus, aut sanè Gallus, pro eâ quâ est in tractandis puerorum animis, atque ad omnem humanitatem efformandis dexteritate, scholarum statim fundamenta iecit. Paranen- sis Induseos voce ac fidibus ca-

Barbarorum erga Patres beneuolentia.

Institutio iuuentutis.

E

rebant

rebant parentes stupore defixi, dum filios suos orationes ex chartis pronuntiare audirēt: characteres verò vix ex manibus deponebant, neque ab iis oculorum obtutum deiicere poterant. Antequàm templum esset extructum, totos pænè dies sub dio Christianâ eos institutione erudiebamus, ad quam semper omnes confluebant, conuocante eos incantatore, de quo suprâ meminimus. Infirmorū curam sibi Pater Claudius reseruari petierat, cui, quantum colligere potui, curationum donum diuina liberalitas elargita esse videtur. Oleo etiam S. Nicolai, & S. Pauli terrâ, (vt vocant) viperarum morsus aliquot curauimus, magno ad fidei commendationem testimonio. Primo solemni baptismo, festo Augustissimæ Virginis assumptæ die, centum quadraginta è dæmonum mancipiis, ad Dei filiorum libertatem emerferunt: paucis pòst diebus alij circiter quingenti. Tantamquæ de eo opinionem imbibere, vt cætatim alium alius præueniens, nobis pueros sacro fonte eluendos tradant: ipsi quæ pueri, parentibus aliquibus nihil minùs curantibus, ad nos veniunt rogantes vt se Dei filios efficiamus. Quidam inter eos statim à baptismo in cælum sunt euocati: vbi pro suscipiendo baptismo examine fuerunt approbati, toti sunt in palmis conquirendis, & corollis contexendis, quæ eo suscepto in supplicatione gestent. Sacramenti huius existima-

tio-

*Curatio-
nes mira-
culosa.*

*650. pau-
cis diebus
conuersi.*

tionem non parum auxere, subire eo suscepto *Baptismo*
 morborum curationes, *suscepto*
morbicu-
rati.

Descriptis in singulos ciuilibus officiis, at-
 que ordinibus constitutis, R. V. me accersiri
 iussit: itaque anno Christi MD CXXVI. i. incun-
 te, magno lacrymarum imbri utrinque profuso,
 iis vale dixi. Sed illi communi decreto conclu- *Nolunt*
 sere, ut sin minus precibus, etiam vi adhibita *Ignazani*
 omnem mihi exitum intercluderent. Allega- *Patrem de*
 bam inter ceteras rationes, mihi ut subito *se dimitte-*
 parendum esse, meque P. Claudiam cum iis *re.*
 relinquere: ipsi tamen his nihil commoti, pro
 omni ratione adferentes, me primum eorum
 esse parentem, in suo decreto magnâ animo-
 rum obfirmatione persistebant. Tandem ad
 R. V. hinc benè distantem profecti sunt, roga-
 turi, ne me à se auocaret: sed donis à R. V.
 onusti rediëre, spe obtenta fore ut propediem
 ad eos redirem. At verò hæc tam lata princi-
 pia suis etiam incommodis ac periculis mini-
 me caruere: primâ enim atque alterâ vice, quâ
 eos conueni, propè absuit, ut me Sociosque
 meos depromptis iam telis confoderent.

Hactenus P. Berœa, quæ paullo fufus fu-
 mus profecti, ut rudem quamdam nouæ Re-
 ductionis effigiem proponeremus, quæ omni-
 bus nouis Reductionibus inseruiet. Reliqua
 huic Reductioni propria ab anno MD CXXVI.
 inchoando, ex Patris Claudij litteris proferen-
 da, qui hunc in modum scribit. Ex alterâ sumi-

E 2 nis

*Impiapa-
rentatio
castigata.*

nis parte gens omnino barbara nullo certo-
siru vagatur. Cum his solebant Iguazuani ad
manus nō raro, atque ad dentes (vt ita dicam)
venire. Itaque eò excursionem fecêre, atque
aliquos ex iis secum captiuos deduxêre. In re-
ditu dum Caciquij cuiusdam tumultum, ab ho-
stibus illis aliàs eneecti, prætergrederentur, non
se abstinere vâuerunt, quin captiuis aliquibus
super Caciquij tumultum in vindictam truci-
datis, nefanda ei iusta persoluerent: ceteros in
horrendas epulas maiorum more reseruabâr:
cumque id Patri Claudio eius rei ignaro esset
indicatum, coronâ omnis populi inspectante
vinctos iussit in suum conspectum adduci: ibi
verbis grauissimis atrociam eorum scelera exa-
gitare, eisque pœnas à Deo, Indisque Para-
nensibus & Guairanis infligendas commina-
ri, si tam horrendum facinus secundò intentâ-
rent: tandem ab iis euicit, vt vinctos in serui-
tutem redactos vitâ donarent, qui tamen haud
itâ multò post ad suos iterum transfugêre.

*Fames Re-
ducti onem
exceptam
disturbat.*

Eodem anno tanta fuit glirium copia, vt
quidquid seminis terræ mandatum fuerat, id
omne citra remedium absumerent. Ingens fa-
mes subsequuta in pristinas suas habitationes
multos se recipere coëgit. Patres verò solis fa-
bis, semelque de die dumtaxat reficiebantur,
modico frumento Turcico (id ei in Belgio no-
men est) adiecto, panis iis vicem præbente,
quod omne ex Paranâ eò aduectum, in egen-
tes

res in dies erogabant. Qui verò semel discesserant, nihil minùs quàm de reditu cogitabant, quòd dicerent laborem ibi ac semen se ferendo perdere. P. Claudius, Taüpâ ac Parauerâ Caciquiis, aliisque Indis comitantibus, se eò contulit, & cultris, hamis, aciculisque (quæ omnia magno apud eos in pretio habentur) distributis, quadringentos omnino reduxit. Ceteri hoc quem subiiciam euentu, ad Reductionem rediêre. Tigris (quòd animal hæc, si vspiam, maximâ viget ferocitate, multoquæ magis quàm leones rimerur) puellam ex hammacâ (rete pensile est, lecti vicem præbens) præsentem matre abripuerat pridie diei S. Carolo sacri, tertio ab Reductione lapide, ab iis, qui se reduci non patiebantur. Auus totâ nocte Tigrem iaculis insecutus, puellæ crura ab eâ eripuerat. Simul atque illuxit, ad Patres profecti lugubrem iis casum nuntiant. Iubet Pater belluæ laqueum strui, S. Carolo in patronum assumpto. Postero die ante lucem nuntius lætus adfertur, Tigrem laqueo esse irretitam. Coactâ itaque tûm concione, iis Pater exposuit, beneficij per S. Carolum accepti mèmores eos esse oportere. Atque hunc alterumque non absimilem euentum, magna Patrum fama atque existimatio secuta est: omnium enim sermone Patres vt Tigrium interfectores celebrantur, quod Indi permagni æstimaunt. Ob eorum enim ffequentiam, plu-

*Acicula,
hami, &c.
magni sũt
ab Indis.*

*Tigres
isthic feroces.*

rima iis damna solent imminere.

*1105. anno
uno isthic
baptizati.* Ait etiam P. Claudius anno voluente ibi sa-
lutaribus aquis ablutos fuisse centum & quin-
que supra mille. Scribit item quadraginta ibi
facile incantatores degere; sed in spem se ve-
nisse fore ut brevis ex dæmonis in Christi mi-
nistros transeant. Verum in recentioribus suis
litteris sic ait: Deus huic populo mirificos
*Templum
per amplā
edificavit.* quotidie fauores elargitur. Templum exdi-
ficamus, cuius spatium centum quinquaginta
pedum longitudinem amplectitur, cui licet
binarum ac ternarum alarum accessionem ad-
iunxerimus, exiguum tamen id futurum vide-
rur, si multitudinem se reducentium spectes.
Atque ut R. V. certior fiat, quam ad omnem
virtutem populus hic sit dispositus, referam
quid nuper acciderit. Quinquaginta circiter
Indi missi fuerant, ut lapides ad Ecclesiæ con-
structionem adueherent: hi ab aliis Indis, in
loco paucis à Reductione passuum millibus
distant, gallinās aliquot suffurati, sacro ieiunii
tempore eas comederant. Quod ubi in vulgus
dispersum est, multorum aures animosque of-
fendit. Hæsimus hinc, quid hac super re decer-
neremus. Seditionem, si punirentur, excitare;
si verò impunè essent, perniciosi exempli imi-
tationem reliquis in posterum relinquere ve-
rebamur. Deo itaque precibus re commenda-
tâ, finito Missæ sacrificio, eam Deo ac teneræ
Ecclesiæ injuriā factam haud impunitam
abire

*Pæne in-
fide de-
linquenti-
bus, & li-
benti ani-
mo susce-
pte.*

abire permisi, Itaque convocato omni populo, Prætozem eiusdem facti reum in medium prodire iussi; atque ubi, verbis re multum exaggeratâ, vidi eum populumq; ritè dispositum, pœnâ publicè subeundâ præscripsi; quam etsi factis graue omnes genibus humi positâ magnâ animi submissione expleuere: ac deinde illicò ad me venere manus magnis amoris signis exosculaturi: gratiasque omnes egere, quòd se pro tanto crimine perpetrato tam leui pœnâ multatos abire siuissem. Tanta in fortissimâ Dei dispositione etiam à barbaris suauitas reperitur. O si mihi liceret hîc inuehi in eos, qui pœnas etiam minimas, ob delicta sua longè maiora subire detrectant, quantus mihi campus aperiretur! Sed P. Claudij verba non interrumpamus. Senex item, qui quatuor vxores iuuenículas dimiserat, solâ anu retentâ, propterea quia cum vnâ ex relictis flagitium instigante dæmone commiserat, iussu meo secreto punitus est: quâ de re postea prolixè mihi gratias egit: atque ab eo tempore multum in eo erga Patres amoris affectus accreuit.

R E D U C T I O

NATIVITATIS B. VIRGINIS

IN ACARAIG.

PARanam subeundo, leucis ab Iguazu non amplius quatuor, hæc, de quâ agimus, Re-

Acaraigensis municipij principis

E 4

ductio

ductio conspicitur : cuius initia , vt & ceterarum omnium , multis periculis ac laboribus fuere obnoxia : sæpè enim apertum mortis discrimen Patri Beroæ eius fundatori subeundum fuit. Ante annos nouem fuit inchoata : sed propter operariorum penuriam subinde relicta est : incolas tamen P. Beroa ex intervallo reuisebat , in spem eos adducens fore vt Patrem propediem essent habituri. Primâ cruce à barbaris deturbarâ , secundam erexit anno 1624. sed parum omnino abfuit , quin tum temporis à malefico de medio sublatus fuerit. Tandem cum P. Beroa , Patrem qui resideret , eò secum adduxisset , ipse in morbum incidit , ac rotam hyemem sub diuo , cæli inclementiæ fuere expositi. Nullus erat qui infirmæ curam gereret nisi Socius : is suis caritatis officiis Socium ad corporis , Indos ad animi salutem adducere satagebat. Sed maleficorum ac dæmonis operâ incassum ferè omnia recidebant. Verum aliquando tandem Dominus oculos huic populo adieciisse videtur. Nam Caciquius quidam , cognomento Ambaratig , cum ex magno Christi inimico ad eius signa ac partes repente cum suâ gente conuolasset ; tot alij vndique confluentes cum sunt subsecuti , vt cum antea centû duntaxat hîc familiæ numerarentur , in frequentè iam populum hæc Reductio excreuerit : qui ad Iguazuânæ Reductionis initia multum postea contulere.

Illud

Illud ad Patrum hîc degentium labores, *Infesti*
 perpetuum, vt ita dicam, martyrium adiicitur, *isthic cy-*
 quod innumeri sint in hoc loco Cyniphes, *niphæ.*
 æuleis suis sanguinem vndique exsorbentes.
 Ad populum hunc maiori facilitate ad fidem
 adducendum, illud se Patribus medium op-
 portunum obtulit, vt vxorem sine marito ad
 expiatorias vndas non admitterent. Multi sta-
 tim à baptismo senes aliique in cælum rectâ
 euolarunt. Cùm illac transirem, dixi ad illos,
 Socio interprete, in verba satis acris prorum-
 pens: An non eos puderet, cùm tanto tempo- *Concionis*
 ris interuallo Patres ibi degissent, tot adhuc in- *et admo-*
 ter eos maleficos atque incantatores reperiri, *nitionis*
 totque alios qui vxorum à se multitudinem *fructus.*
 nondum amandassent? me Patres, si se à flagi-
 tiis non abdicarēt, illinc esse euocaturum. Hac
 admonitione eorum animi adeò non fuere ex-
 acerbati, vt citra cunctationem plurimi, vxo-
 res in ætatis flore existentes, primâ, tum vetulâ,
 rērentâ, repudiarent. Postridie dum luceret,
 malefici iam tum in templi vestibulo in genua
 coram Patre deuoluti, magicas suas artes ex
 intimo animorum sensu detestabantur, actu-
 que contritionis excitato, spe acceptâ, fore vt
 breuî in Christianorum numerum assumeren-
 tur, læti domum redibant.

Neque parum ad eam rem proderant con- *Puerorum*
 uicia, quæ in illius sortis homines à pueris con- *aduersus*
 uiciebantur: nam innumeris eos probris vsque *maleficos*
 zelum.

E s

ed

ed infectabantur, donec detestanda sua maleficia abiurarent. Quodam die inter pueros conuenerat ut anum maleficam vinctam ad Patrem adducerent; cumque funibus onusti eò se conferrent, anus, id quod agebatur subodorata, in silvas se proripuit: atque alio die, ut lucere cœperat, mutato oris habitu, ad Patrem se comitante sociarum cateruâ, deportauit, ubi in hæc verba erupit: Ego infelix illa, cui diabolus hætenus illudit. Ego, ego sum, quæ flagitiorum diuersorium, atque omnis nequitiae officinam exerceui. Ego illa sum, quam in infernum præcipitantem dæmon, cui in omnibus obsequebar, Dei voluntate neglectâ, tantum non impulit. Mihi iam deliberatum est, si mihi fueris opitulatus, diuortio cum dæmone factò, vitam ac mores in melius commutare. Atque exinde eo virtutum exemplo emicuit, ut ad imitandum quibusuis faciliè proponi posset.

Huius Reductionis Indi subinde excurrunt, multosque passim dispersos ad Reductionem adducunt. In his fuere monticolæ nonnulli, feris quàm hominibus similiores, qui facie firmiam referente, attonitis similes, contractis membris, ac gibboso corpore, tum ad cursum, tum ad omnem ferè corporis motum erant inepti; cum tamen ceteri Indi mirâ polleant corporis agilitate. Sed illi ex cauernis suis vix unquam egressi, lucem etiam ipsam ferre vix pote-

*Monticola
Indi, extra
cauernas
vivere non
possunt.*

poterant: quare paucis post diebus ex iis aliqui sacro Baptismo initiati diem suum obire, quos haud ita multo post alij subsecuturi videntur; propterea quia ut pisces ex undis, ita hi ex cavernis suis extracti, non posse diu vitam producere videantur.

REDUCTIONES

PROVINCIAE GVAIRANAE.

TRiginta leucis ab hac, de qua modò egimus, Reductione, Paranensis Prouincia horrendo præcipitio terminatur: eamque excipit Guairana Prouincia, quæ nomen sibi à *Guairana Prouincia* Caciquio olim in eâ degente mutuata est. Prouincia hæc ad trecentas ferme leucas se extendit: nam vsque ad S. Pauli oppidum in Brasiliâ situm quoad longitudinem excurrit: eius verò adhuc latitudo ignoratur.

Atque ut singula huic Prouinciæ propria magis dilucidè proponantur; non abs re futurum existimaui, si itineris mei seriem præmitterem: quod certè magnâ animi auiditate, ab iniuncto mihi officio suscepi: eoq; promptiori animo, quò Chilensi viceprouinciâ separatâ, eius curam à me abdicatam viderem. Et quidem in Guairâ ad multa animarum millia ad Christi fidem conuertenda latissimum ostium, ut ex decursu patebit, apertum offendi. Itaque itineris mei initium viâ ordinariâ aggre-

P. Prouincialis ad eam iter.

aggredi volui, videlicet ab Assumptionis vrbe
 confcēso flumine Paraquario: sed de omnium
 consilio ab eo proposito destitui, propterea
 quia viam illam plurimis Indis hostibus, qui
 multis Hispanis illac commeantibus necem
 attulerant, infestam esse asseriebant. Quare quò
 possem tanto meo desiderio satisfacere, signi-
 ficaui P. Antonio Ruis, vt iter mihi alicunde
 aperiri iuberet. Is Indum secundo flumine Pa-
 ranà ad me misit, qui vt vidit flumen ob præ-
 cipitium nauigari non posse, multis diebus pe-
 des iter profecutus est, aquæ ex alto delabentis
 murmur, vt certum viæ ducem secutus: &
 quamuis fluminis ripa salebris vbique sit obfi-
 ta, sub rupis tamen pedem, iuxta amnem per-
 exiguum Caciquium cum paucis aliis, propin-
 quum sibi ac necessarium inuenit, qui vehe-
 menter demiratus, quomodò viâ illâ tam ar-
 duâ descendere potuisset, quæ auium tantum-
 modò non hominum vestigiis signari posse vi-
 debatur, rogare cœpit, quò iter dirigeret, &
 quam ob causam, non seruato ordinariæ viæ
 circuitu, tam manifesto se vitæ periculo expo-
 suisset. Indus nihil habens antiquius quàm rem
 suam agere, omiſſis ceteris quàm primùm pe-
 tit, quanto itineris interuallo proximi Para-
 nenses Societatis Patres distarent: hoc enim
 præcipitium, Guairanam, vt modò dictum est,
 Prouinciam à Paranensi diuidit. Caciquius in-
 quit, eos non multum illinc abesse, sed se Patri-
 bus

*Caciquius
 nostris
 mortem
 inferre co-
 gitās, tan-
 dem con-
 uertitur.*

bus istis Paranam colentibus exitium machinari, ut se ab iis immunem atque indemnem præberet: sed facile eum Indus à proposito deduxit, se à Patribus Christo genitum afferens, merumque akeri vehementem incutiens, fore, ut si tale quidpiam attentasset, plurima Indorum millia ex Guairã descenderent, de tam impio facinore, tantâque iniuriâ Patribus suis irrogatâ vindictam non leuem sumpturi. Quare pristino consilio deposito, tandem, Quò me, ait, veram nescio: quò ab iis aufugiam ignoro. Hinc secundo flumine, illinc aduerso me persequuntur. Aliud nihil superat, quam ut à Paranã in Iguazu deflectam, ubi tutò delitescam, neque vnquam me reperire valebunt. Atque (ut mirifica Dei bonitas elucet, quâ etiam fugientes se comprehendit) paullo post Iguazuana Reductio facta est, ad quam hic ipse cum aliis à Patribus nostris reductus est. Indus itaque Guairanus, triginta leucis iuxta fluminis decursum confectis, Reductionem Beatissimæ Virginis Acarainam attingit, quæ Paranensium vltima est, ac præcipitio maximè vicina. Simul atque huius Reductionis incolæ Indum hunc conspexere: ut bombardâ humeris impositâ Hispanico eraritu indutus, continuo ad Patrem aduolant, ac verbis præ metu interruptis nuntiant, Hispanos secundo flumine descendere, quod neque sibi in mentem incidere vnquam posse existi-

Indus Hispanicâ veste & armis insignis ad P. Provinciam missus.

ma-

mabant: sed tum maxime trepidare cœpere,
 cum Indus Reductioni proximus, tormenta-
 rio pulvere ignem concipiente, è ferreâ fistulâ
 globum explosit, cuius murmur numquam
 antea auditu perceperant. Enimvero incondi-
 tis clamoribus, ac femineo eiulatu tum omnia
 repleri cœpere: neque defuere qui se in silvas
 abderent, rati innumeram Hispanorum mul-
 tudinem sibi imminere, vt se in seruitutem
 redigerent. Verum vbi Pater nuntio accepto,
 ac litteris quas à Guairanis Patribus Indus ad-
 ferebat perlectis, in Indi ruit amplexus; metu
 in fiduciam verso aduenere, atque vt Indum
 esse cognouere, mira in omnibus læticia exor-
 ta est.

Pater vero Antonius Ruis, Indo ad se re-
 uerso, nondum acquiescens, alterû Caciquium
 ad me eadem viâ Cordubam vsque misit: per
 quem illi indicaui, in animo mihi esse illac in
 Guairam penetrare: quare ipse P. Antonius
 multo ante tempore cum plures pontes in
 præruptis extruens, viam mihi per ardua illa
 atque inculta loca aperuit: ac mihi obuiam fa-
 ctus, me in Acaraia Reductione præstolatus
 est. Vbi incredibili animi mei voluptate eum
 sum amplexatus, atque eo comite, centumque
 aliis Indis, quos secum adduxerat, sui in me
 amoris testibus, soluimus, præcipitiû petituri.

Præcipitiû hoc inter res omnes, quæ in
 hisce Prouinciis sui admirationem excitare
 pos-

*P. Anto-
 nius Ruis
 P. Prouin-
 ciali occur-
 rit, eiq; po-
 tes struit.*

*Præcipitiû
 mirabile.*

possunt, locum facilè principē obtinet. Enim-
 uerò haud scio, an quidquam in toto terrarum
 orbe mirabilius existat. Quare nihil est in his
 partibus, quod sui vel timorem vel famam ma-
 iorem excitârit: multi hîc Hispani, debellatis
 Indis, vi aquarum delabentium, in scopulos
 acti, vitam amisisse dicuntur. Itaque cum paul-
 latim præcipitiæ appropinquaremus, defluen-
 tis aquæ vim experiri cœpimus: quia neque
 Indi remisaquæ delabentis imperum superare
 valebant, & balsâ meâ ad scopulum afflicta,
 canoa altera fuit comminuta: altera item balsa
 ad alterum scopulum allisa dispersit: sed Pa-
 trës qui in eâ erant (duos enim præter Socium
 meum, mecum in Guairanarum Reductio-
 num subsidium deuehebam) in vicinam ru-
 pem desiluère, adeò ut aquis dumtaxat perfusi
 euaserint. Igitur temeritatem arbitratus ulte-
 riùs progredi, exscendere omnes iussi, pedites-
 què iter arripuimus, Indis humeris omnia no-
 stra gestantibus; ibi enim neque quadrupes
 est, neque ob viæ vel asperitatem vel decliui-
 tatem vsui esse posset. Imber non rarò nos ac
 nostra peruadebat: contigitque subinde, ut
 rapidissimo amne in Paranam influente reper-
 to, ignari quid consilij caperemus, diu hæsitau-
 erimus; sed tandem lignis incompositè de
 rupe in rupem ordinatis, cum euidente sanè
 mortis periculo transire sum aggressus. Quam
 rem postea periculi euentiâ clariùs perspe-
 ctâ,

*Fabula de
hoc præci-
pitio.*

Atq̃, vt magnum temeritatis crimen per confes-
sionem expiaui. Ceteri omnes canoâ à præci-
pitij radicibus allatâ transmisere. Præcipitium
hoc multis fabulis argumentum dedit, qua-
rum hæc magis recepta est, totum Paranam,
quantus quantus est, se in modum arcus præ-
cipitare tantâ vehementiâ, vt inferiùs nauiga-
ri possit, aquâ delabente, subrustrascuntibus
vmbra præbente. Sed vt oculatus & curio-
sus huius rei indagator rem hanc benè per-
scrutatus sum, falsamq̃ue esse comperi. Flu-
uius enim vehementissimo impetu, ex altissi-
mâ se rupe præcipitat duodecim leucarum
descensu: atque ingentium rupium horribiles
figuras referentium iuga decliui alueo stringit;
à quibus aquæ reuerberatæ in eximiam altitu-
dinem resiliunt: multisq̃ue in locis ob nimiam
saxorum asperitatem alueus interpolatur: ac
per varia deinde itinera velut dispensatæ aquæ
rursus coeunt, stupendos vortices efficiendo:
alibi item aquæ desilientes, in ipsas rupes ir-
ruunt, atque aspectui se subducere visæ, diuq̃ue
abditæ, rursus velut ex variis fontibus conce-
ptæ magnas rupium moles exsorbentes erum-
punt. Denique tanta est aquarum violentia il-
lo aluei decursu se præcipitantium, vt toto illo
duodecim leucarum itinere, continens spuma
videatur, quæ Solis radios percutiens, in-
tuentium aciem suo fulgore perstringit. Aquæ
etiam delabentis, & ad saxa se collidentis mur-
mur,

PROVINCIAE PARAQUARIÆ. 81

mur, quatuor facillè leucarum intervallo percipitur. Asperâ præcipitij viâ confectâ, iuxta eius radices aqua in molliore solo videtur velle conquiescere: de die enim sæpiùs ibi leniter stagnat: sed in horas pænè singulas ingès murmur à causâ occultâ exoritur, atque aqua ad multorum cubitorum altitudinem resilit, quæ omnia curiosè aspexi, & peculiari curâ adhibitâ observavi.

Pisces illic ingentis magnitudinis visuntur: *Pisces enor-*
asseruitque mihi P. Antonius se piscem bovi *mis ma-*
æqualem vidisse, medio dumtaxat corpore flu- *gnitudinis.*
mini innatantem. Neque hoc incredibile cuiquam videri debet: nam postquam Guairanas Reductiones visitaui, ad me scripsère, ab eiusmodi pisce fluuiatili Indum esse deuoratum, ac postea integrum in littus eiectionem esse. Pedites itaque duodecim, illas leucas cõfecimus: sed multò plures fuère ob varios viæ ac montis flexus atque anfractus. Sex omnino dies, incredibili membrorum defatigatione, ac sudore ex toto corpore dimanante, in montis ascensu consumpsimus. Via enim ipsa ardua, saxis asperis ac præruptis strata, alibi exiguis lacubus, alibi torrētibus, alibi arenis interiectis distinguitur: neque, alia orbis plaga ardore Solis magis exæstualet, nisi riuis atque arborum frequentium ymbra mitigaretur. Sed ipse itineris angustia inter densas arbores ac sentes præcipuo nobis erant incommodo.

F

Iter

*Indorum
Catholico-
rum erga
Patres ca-
ritas.*

Iter hoc ineunte hîc vere , mense scilicet Octobri confecimus , ac iam tum siluestres fructus maturuerant: eos itaque Indi ad æmulationem magno quisque ad me affectu deferrebant, quibus magis vessebar vt eorum affectui,quàm vt meo gustui satisfacerem. Noctu iuxta flumen consistebamus, & quia frequens pluuiâ decidebat, dum aduersperascebat, Indi defixis in terram stipitibus tuguriolum extruebant. Arborum frondes ordinatè compositæ, tecti ac parietum vicem obibant, quæ radicibus funium loco inter se aptæ & connexæ, pluuiæ arcendæ sufficiebant. Atque ita de omnibus P. Antonij Ruis curâ ac prouidentia fuit prospectum, vt neque nobis neque Indis toto itinere victus defuerit. Sexto die euoluto, superato præcipitio, Paranam flumen conscendimus: vbi P. Petrus Espinosa magnâ nos alacritate excepit, terræque eius nobis fructus apposuit.

*Guaira
vrbs, siue
Ciudad
Real.*

Quamprimùm aduentus mei rumor est disseminatus, incolæ vrbis Guairæ, vulgò Ciudad Real, quæ duabus à portu leucis abest, aduentum meum demirati, propterea quòd eò numquàm antea vel Episcopus, vel Gubernator, vel Prouincialis aduenisset, Prætorem cum duobus Senatoribus mihi obuiam misere, aduentu meo mihi sibi quæ gratulaturi. Postero die nauem ad urbem applicuimus, vbi omnis populus me præstolabatur, atque in
rem-

templum me omnes sunt comitari: ubi gratiis
 Deo actis, ad domum in eum finem adorna- *Incola Col-*
 tam me deduxere, omnesque magnâ propensâ *legium So-*
 in me voluntatis inclinatione me inuiserunt, *cietatis em-*
 petieruntque ut Societatis ibi Collegium ex- *petunt.*
 struerem. Sed quod exiguo essent numero, nul-
 latenus id fieri posse respondi: spondi ta-
 men fore ut Patres designarem, qui frequenter
 ad eos excurrerent.

Hispani qui hanc urbem incolunt, eorum
 posterius sunt, qui Paraquariâ primis tempori-
 bus detectâ, ex Hispaniâ eâ concessere. Suâ *Eorum ge-*
 viuunt paupertate contenti, vestibus ex gossi- *nus, vestes,*
 pio confectis vtuntur, raroque illic vestis ex *viâ.*
 panno visitur; quam non auro aut argento,
 (nullius enim generis pecuniâ vtuntur) sed
 herbâ, de quâ suo loco dicemus, commutant:
 nulla ibi negotiatio aut officina exercetur: sed
 sibi quisque domi suæ mercator atque opifex
 est. Nulla inter hos Hispanos est propagandi
 honoris aut stirpis ambitio, ac proinde altâ in-
 ter se pace fruuntur. Neminem ex his cupidi-
 tas incescit vel in Hispaniam, vel in alteram
 orbis partem proficiscendi: iis enim carent,
 quæ ad profectionem necessariò requiruntur,
 pecuniis scilicet ac vestibus: neque iis curæ est,
 quid in Flandriâ, aut in reliquis orbis partibus
 agatur. Fluminis piscibus ac terræ frugibus fe-
 re sustentur: panem non comedunt nisi ex
 radice confectum, quam mandiocam vocant;

*Alces bel-
lua.*

vino, bobus atque ouibus carent. Gallinas ac
sues modicas habent; quibus subinde vescun-
tur. Alcium item carne victitant; quod animal
hîc frequens est, iumento simile, ac magna be-
stia multis in Europâ locis vocari solet : cuius
ungula cardiaco morbo prodesse dicitur: fer-
turq; anterioris sinistri pedis ungulâ cordi su-
perimpositâ dormire. Duas eiusmodi belluas
coram me in flumine iaculis confodere, quò ex
montibus ac siluis se recipere solent: caro alba
est ac tenera, vitulinæ haud absimilis.

*Municipiū
D. Virginis
Laureta-
na.*

Hîc nos Paranz flumini rursus commisi-
mus, ac sexaginta leucarum spatio remis supe-
rato, primam nostram Reductionem attingi-
mus, cui à Beatissimâ Virgine Lauretanâ no-
men est. P. Iosephus Cataldinus tertio ab Re-
ductione milliari in occursum nostrum venit;
quem plurimæ balsæ & canoæ ramis couesti-
tæ comitabantur, aded vt flumen iis contegi

*P. Provin-
cialis sum-
mo honore
isthis exce-
ptus.*

videretur. Atque ad maius lætitiæ & gratula-
tionis indicium; Indi magnâ dexteritate naua-
le inter se certamen iniuere, aptâ musicarum
vocum, fidium ac tibiatarum symphoniâ, toto
flumine personante. Balsæ canoîsque ad litus
appulsi, templum supplicationis ritu adiuui-
mus, vniuerso populo comitante : templum
verò ipsum in primis capax, tam vario florum
ornatu depictum; totque aliis ingeniosis in-
uentis erat adornatum, vt quædam cæli spe-
cies mihi obuersari videretur. Et sanè pro sole
illo

illo aspectu omnes viz labores ac pericula rur-
 sum obire non detrectarem. Est certè quòd *Templum*
 Deo sibi que Tua Paternitas gratuletur, quòd *isthic ele-*
 in locistam remotis filios habeat Iesu Christi *gant.*
 gloriam tam strenuè propagantes. Templum
 hoc à P. Antonio Ruis fuit exstructum : alte-
 rum verò paris magnitudinis in Reductione
 S. Ignatj, operâ P. Iosephi Cataldini fuit ex-
 dificatum.

Dixi ad populum interprete P. Antonio
 Ruis, Guairanarum Missionum Superiore at-
 que in eo sermone disertissimo. Pater verò Ia-
 cobus Salazar huius Reductionis Præses, in
 dies singulos variam mihi segetem laudandi
 Dei præbuit, populo illo tot humilitatis atque
 aliarum virtutum signa exhibente, vt in Socie-
 tatis tirocinio formati viderentur ij qui paucis
 antè annis in cæuentis præliis exercitabantur,
 atque humanis carnibus faginabantur. Patres
 hîc mandiocâ pro pane vtuntur. Est hæc radix, *Panis ex*
 cuius succus venenatus ac pestifer est : atque *mandiocâ.*
 ipsa radix recens comesta præsentem necem
 afferre solet, expresso verò veneno, radice hac
 in omnibus hisce Indiis pro pane vescuntur.
 Boues etiam huc quasdam P. Antonius Ruis
 ex Assumptione summo labore deduxit, quæ
 hîc multiplicantur. Patres hos et si Regia ele- *Indorum*
 mosyna, non tamen Indorum deficere solet: hi *in Patres*
 enim quotidie legumina, pisces, fructus, ac *liberalitaa.*
 mel siluestre vltro ad eos deferunt, de quibus

F 3 morbo

morbo affectis, aut necessitatem patientibus affatim subministrare possunt.

*Municipiū
S. Ignatii.*

*Incola ear-
to tempore
Guairanis
cinibus fa-
mulantur.*

In S. Ignatii Reductione, quatuor ab hac leucis distitā, quod nimirum populo sit paullo frequentiore, omnem conatum adhibuere, ut ad æmulationem maiori me apparatu acciperent. Præst huic P. Iosephus Cataldinus, Præcipua verò Indorum horū calamitas est, quod Hispanis vrbis Guairæ inservire cogantur: Regio enim edicto sancitum est, uti omnes hi Indi duobus quotannis mensibus Hispanis, quos Commendatores, vulgò *Entomenderos*, vocant, inserviant: atque ita Indos hos, Gubernatores distribuunt, ut singulis Hispanis plures Indi assignentur: atque uti Hispani omnium hīc sunt egentes, eorum servitio integrum annum quidam abuti vellent. Sed PP. nostri pro commissio sibi græge curam gerentes, omni ope conantur efficere, ut Indi ultra præfixum à Rege tempus non detineantur: atque hæc est dissensionum subinde ac dissidiorum origo: adeò ut quidam à Gubernatoribus, atque adeò ab ipso Rege pètierint, non sine calumniis in Societatem à veritate ac ratione alienis, ut Indorum etiam cura nobis spiritualis eriperetur. Ideoq; ego dum urbem Guairam pertransirem, non obscurè omnes sum percunctatus, quomodò iis cum Patribus conveniret, atque ut omnia Patrum delicta mihi aperirent, rogaui; omnesque mihi asse-

asseruere, Patrum vitam nullâ vel tenui labe-
 culâ aspersam esse. Tum illis promisi fore vt
 Patres meo iussu Indos ad eorum seruitium
 accuratè, suis quibusque temporibus, mitte-
 rent. Quo audito acquiescere visi sunt. Maxi-
 mus verò Indorum labor in eo consistit, quòd
 ab heris in Maracaiu mittantur, vt in monti-
 bus ac siluis arborum quarumdam frondes
 decerpât. Arbores hæ lauro non absimiles, vi-
 riditate etiam magis clarâ, in siluis humidis ac
 cœnosis præcipuè nascuntur. Frondes has igni
 tostas in mortariolis comminuunt, atque ea-
 rum puluerem cistis impositum plurimis leu-
 cis Indi humeris gestant. Ob maximam verò
 illic cæli intemperiem, ciborumq; penuriam,
 quos Hispani egentes iis suppeditare non pos-
 sunt, viperis, lumbricis, atque araneis (proh
 dolor!) Indi victitare coguntur; sicque pesti-
 feris morbis, ac fame subinde enecti, diem
 suum obeunt. Magnâ sanè commiseratione
 res indiget. Nam in omnis laboris mercedem,
 cum à seruitio redeunt, duas summum telæ
 vlnas singuli, quidam etiam vacuas manus se-
 cum domum referunt, cum ipsi Hispani pau-
 perrimi sint.

*Quarum-
dam arbo-
rum fron-
des in v-
sum eorum
colligunt.*

Hispani huius herbæ puluerem, quem her-
 bam *ἀντινομαστικῆς* & *μετανομητικῆς* appellant,
 mercatoribus eò venientibus vendunt, aut po-
 tiùs cum rebus sibi necessariis permutant: so-
 letque interdum accidere, vt bis mille huius
 pul-

*Pulueris
inde con-
fecti usus
& merca-
tura.*

pulueris libras, cum vnicâ veste ex panno communi, itemque quingentas eius libras cum vno pileo commurent. Pulueris verò huius solet hic vsus esse. Vtriusque sexus tum Hispani tum Indi, minimùm semel iterùmve de die puluerem hunc aquâ tepidâ permixtum haurire consueuere. Quo hausto, quidquid in stomacho residet, euomunt. Adeoque huius herbæ vsus inualuit, vt deficiente pecuniâ, thoracem, femoralia, vestesque stragulas cum eâ permutent: fuitque mulier, quæ spectum imbricibus denudauit, vt eam sibi herbam cõpararet. Ita omnibus persuasum est, rectam corporis constitutionem non posse sine hac herbâ consistere. Afferunt enim se notabiliter deficere, neque vitam producere posse, si illius herbæ vsu eos carere oporteat. Indi ante lucem eam sumunt, ac sæpius plerumque de die. Vitium hoc per omnes hæc Prouincias adeò permanauit, vt eâ vtantur omnes fluminis Argentei accolæ, Prouinciarumque Tucumanicæ & Chilensis incolæ; atque adeò in Potosi, totâque Peruniâ aureis quatuor huius herbæ libra venire soleat. Herba hæc homines helluones, atque abdomini suo inservientes efficit, eosque à quouis opere ac labore abducit: at eius virtus in apprehensione magis, quàm in re consistere videtur.

Sed ad rē redeamus. Visitatis duabus modò dictis Reductionibus, Paranâ ad læuâ relicto,

Lati-

Latibagiuam fluuium ingressi sumus, qui quia plurimis vadis abundat, tam difficulter nauigari se patitur, vt non raro integro die leuca vna dumtaxat conficiatur: sicque diebus quindecim in navigatione consumptis, nauem ad portum appulimus, triginta leucarum intervallo cōfecto: binasque illinc leucas progressi, S. Francisci Xauerij Reductionem attigimus. S. Xauerij
 Solum pinetis abundat: pineis verò, (quæ iuglandibus non absimiles, palato verò satis ingratae atque insipidae sunt) magnam anni partem vescuntur, easque Patres in deliciis numerare solent. Templum populo refertum reperi, gratiasque diuinæ bonitati egi, eorum hominum mansuetudinem intuendo, qui ante annos tres, cruentam humanæ carnis famem saturare non poterant. municipiū.
 Pineis incolæ vescuntur.

Decreueram etiam Reductiones alias duas, Incarnationis scilicet & S. Iosephi visitare: sed Patres ab eo me consilio deduxere, eâ potissimum ratione, quod recens inchoatae essent, omnesque in iis degentes in infidelitatis adhuc tenebris versarentur. Illarum tamen Reductionum Patres ad me cum nonnullis Indis venire, ex quibus Caciquios aliquos salutaribus aquis tinxerim, omnesque videri dispositos, atque ad abiurandam suam barbariem, Christi-que fidem capeffendam propensos. Hic nos cibus defecit, de quo P. Antonius Ruis nobis haëtenus prospexerat, mandioca scilicet ac bubula

bula exsiccata : nam toto trimestri, quem in his Reductionibus visitandis insumpsi, neque panem, neque biscoctum gustavi.

*Villa-rica
colonia Hi-
spanorum.*

Villa-rica Hispanorum colonia est, populo satis frequente, cui vnicus Pastor præest, quem sæpè abesse præstaret: numquàm illic Dei verbum prædicatur, nisi fortè cùm ex Societate aliquis illac iter facit. Eò Patrem Christophorum Turrianum Socium meum misi, vt tum Hispanis in vrbe degentibus, tum in vicis Indorum, vrbi adhaerentibus, quorum linguam in itinere didicerat, Christum annuntiaret.

*Nauigia
Patrum
confracta.*

Cùm iter secundo flumine relegeremus, vel ob rapidam eius violentiam, vel ob scopulos in eo delitescences, pedestri itinere via nobis fuit ineunda: contigitque, vt ad fluminis fortè ripam accedentes, balsas nostras confractas flumini innatate conspiceremus: quibus visis P. Antonius Ruis, Sociusque meus quamprimum remearunt, meque Indo solo comite, propter oram fluminis deservère: arque huic Indo adolescentis cuiusdam carnes adhuc in visceribus hærebant, querebaturque ab adolescentis consanguineis, vt par pari referretur, & vt ne caperetur, ad nos, vt ad asylum, confugerat. Tandem ex superueniente Indo intellexi multa ex iis quæ nobiscum deferebamus, fluminis impetu in præceps abrepta periisse, nonnulla tamen flumini immersa, ab Indis esse extracta. Magnà verò Dei benignitate factum est,

est, ut mandioca non perierit : fame enim nobis intereundum fuisset. Quacumque iter faciebam, Indis magnâ liberalitate indusiola, cultros, hamos, aciculasque distribuebam, quibus in rebus non paucos aureos insumpsi : his verò rebus Indorum animi ita conciliantur, ut his se obligatos iudicent, ut in omnibus, Patrum consiliis obsequantur.

*Munera
Indis data.*

Itaque toto itinere relecto, atque in præcipitij Guairani descensu tribus diebus consumptis, pedes mei tot plagis intumescere cœpere, ut neque vestigium ulterius mouere possem. Indi itaque me in hamacâ, altero triduo gestauere. Octiduum sub præcipitij radicibus fuimus commorati, donèc balsæ ex Acatainâ Reductione adueherentur : sed iam tum victu carebamus. quare Indi siluestribus fructibus pro se quisque onusti, eos prolixè, ut solent, in nos dispertiebantur. In his fructus est (Guembas vocant) cuius noticia haud ingrata isthic futura est. Fructus is aui persimilis : perspicuè enim in eo caput, rostrum, pectus, & cauda distinguitur. Multa grana, ferè ut in malo Punico, coniuncta, corticem sindentia se ostentant, quæ mollia quidem ac dulcia sunt, sed pro centro semen habent sinapis grano minus, felle amarius; adeò ut adhibitâ industriâ ea comedere oporteat : nam si exiguum illud semen in ore rumpatur, incredibilem ad fauces dolorem ciet. Ipsum verò semen, si terræ mandetur, non

*P. Prouin-
cialis pedi-
bus exulce-
ratis, ab
Indis ge-
statur.*

*Guembas
fructus
mirabilis.*

non exoritur, vel si enascatur, fructu caret: sed ex superiore arboris parte flexuosæ fibræ funium ad instar in aëre libratae, in terram se demittunt, quæ hausto terræ humore, radicibusque conceptis, in arbores postmodum crectæ, vberes fructus suppeditant. Primis diebus difficulter hic fructus comeditur, quod frequenter semen illud exiguum, centri vicem obtinēs, dentibus comminuat: sed qui eum usu mandere didicere, miram in eo suauitatem repertiunt, adeò ut neque optimis quibusque Europæ fructibus cedat.

*Arbores
in unam
coalescen-
tes.*

*Pauper
rupes cur
dicta &
qualis.*

Ipsa verò nemora circumquaque pulcherrimis sunt arboribus referta, quarum lignum aliud rubrum, aliud flauum, aliud nigrum. Estque illic arbor, quæ iuxta aliam specie distinctam crescēs ita cum eâ vnitur, ut vnicus truncus videatur: contingitque subinde, ut sex tales arbores, in vnicum truncum ita coalescant, ut distingui alia ab aliâ nequeat. Rupes etiam ibi ingens visitur, cuius fama omnes hæc terras peruasit, & *Pauper rupes* per antiphrasin appellatur: quod omnes existiment ditissimam illic auri fodinam latere: imò totam rupem auream esse dicunt. Rupes est admodum monstruosa, vario colore distincta, ac fulgore ita micante, ut Solis radij haud secus in eam, atque in speculum incidant ac reflectantur: quò fit, ut metallū aliquod prædiues esse suspicentur. Quotquot in his partibus vel Gubernatores vel milites

lites degunt, incredibili auiditate rupem hanc reperire affectant : sed propter periculum, ne aberrent ac pereant, non eò audaciæ procedere audent, vt se viæ committant; ab eo præsertim tempore, quo triginta eorum balsæ, dum eam quærent, periêre. Ego illac transiens, quid rei subesset tentavi: ac merum esse saxum reperi, quod ab arenis, quæ ex flumine à vento illuc feruntur, adeò læuigatum ac tersum est, vt vitro quàm saxo similis videatur. Atque is, vt plurimum humanæ spei portus atque exitus esse solet. Tandem vbi arctè P. Antonium Ruis atque Indoesum amplexatus, balsam conscendi, ac Reductionibus Paranensibus reuisis, Prouinciâ tertiam, ~~Vitâicam~~ scilicet, visitauit. Sed priusquàm de eâ agam, res particulares Guairanas non possum missas facere. Itaque vbi de Reductionibus duabus antiquioribus pauca dixerimus, de septem nouis nonnulla etiam dicemus.

REDUCTIONES B. VIRGINIS LAURETANÆ ET S. IGNATII.

HArum Reductionum incolæ alta iam fidei fundamenta iecêre, ac multis virtutibus Christiano homine dignis sunt adornati. Et vt multa paucis cõplectar, Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento adeò sunt affecti, vt in

Municipiorum D. Virginis Lauretanae & S. Ignatii pietas.

fermonibus suis, etiam dum iter conficiunt, alius apud alium vehementer insistat, vt fidei mysteriis imbuatur. Exhortationes de Sanctissimo hoc Sacramento constitutis temporibus institui curavi, vt eos etiam currentes incitarem, Neque minor est eorum in confessionis Sacramentum propensio: multi enim peccata etiam ante baptismum commissa, magno animi sensu, ad Sacerdotis genua prouoluti repetunt, etsi satis grasi sint sibi ea nunc esse remissa. Ita sunt à rebus spiritualibus instructi, vt ne in saeculo quidem eos vnquam, nedum in tam immani barbarie volutatos fuisse diceres. Vtque iis in dies maior diuinæ gratiæ accessio fiat, tertio quoque mense *Generalis Communio* recutrit, ad quam omnis omnino populus diligenti præparatione adhibita confluit: sed iis dumtaxat distribuitur, qui schedulam ab eo qui à confessionibus est, accepere, quam miris precibus ab eo extorquere nituntur.

Communitio generalis.

Venerabilis Sacramenti nomina honorifica Indu usitata,

Constantia in repellendo flagitio.

Ipsum verò Sanctissimum Sacramentum variis nominibus appellare consuevere: alij criminum deletorem, alij cordis mutatorem, alij intelligentiæ datorem, alij animorum consolatorem, alij aliis nominibus appellant, quæ ei vel ab iis quæ ex Patribus audiuerunt, vel ab effectibus quos in se experiuntur, imponunt. Horum effectuum nonnullos hic apponam. Inda quædam, quæ Sacramenta frequentare consueuerat, ab Indo ad flagitium prouoca-

uocata, ubi ei in mentem venit se communio-
 nis schedulam penes se gestare, incredibili ei
 constantiâ restitit: adeò ut cum aliter non pos-
 set euadere, casti etiam Iosephi virtutem supe-
 rârît; nam togâ ruptâ in impudici manibus re-
 lictâ, nuda omnino ab eo profugit. Altera item
 in simili casu, in sibi blandientem acerrimè
 inuecta, multa in eum congerere cœpit, atque
 inter cetera ei dixit, Signum esse infallibile,
 quòd diuini verbi prædicationi haud interesse
 soletet, quandoquidem tam fœdæ cogitatio-
 nes mentem eius subirent. Sed longè alio mo-
 do se alia gessit: hæc castum Indum verborum
 lenociniis ac precibus multo tempore de casto
 suo proposito deturbare conata fuerat. Is tan-
 dem importunis eius precibus ad indignatio-
 nem protuocatus, ita repente quadam vice ex-
 arsit, ut eam flagellis benè cæsam ad maritum
 remisit, afferens eum qui toties ad puritatis
 fontem accederet, ab omni impudiciâ alie-
 num esse oportere. Similem casum ob affini-
 tatem omitto. Neque in animabus modò, sed
 in corporibus etiam eadem naturæ portenta
 cibis hic efficere solet. Quidam enim animam
 agens, sacro hoc cibo refectus, insequente die
 planè conualuit.

*Euchari-
 stia etiam
 corporibus
 medetur.*

Neque verò minores cælestium donorum
 imbres Deus per sacrum confessionis canalem
 super teneras hasce plantas effundit, ex quibus
 magnum in spiritu vigorem ac robur hau-
 xiunt.

*Mortuus
 ad vitam
 redit: inte-
 grè confes-
 sus peccata
 iterum
 vivit. moritur.*

riunt. Illud ex multis illustre diuinæ misericordiæ argumentum est. Fuit qui vi morbi cogente animam efflarat : cumque iam efferendus esset, animam corpori restitutam, ij qui adstant attoniti conspexere : Patrem ex templo aduocant, cui Indus reuiuiscens ait: Pater, aures, amabo, mihi confitenti præbe, iis enim mihi vehementer opus est: quamuis enim aliquo peccatorum excitato dolore è viuis excesserim, pudore tamen victus delicta quædam ocului; animæ verò meæ è corporis vinculis egressæ Christus Dominus statim obuiam factus, Sanctissimâ Genitrice Virgine comitante: is me redire ad corpus iussit, asserens ultra dolorem de peccatis conceptum, necessariam esse eorum omnium Patri suum locum tenenti manifestationem : cui Beatissima Virgo mater subiecit: Caue ea omiseris, quæ meus tibi Filius præcepit. Atque ubi se conspectui meo eripuerè, repente me corpori restitutum sensi. Magnoque animi aduocato dolore, de delictis omnibus confessus mortalem hanc vitam cum immortali commutauit.

Pœnitentia Sacramentalis neglectus phinitus.

Sed ut fauores, ita neque iustæ Dei pœnæ defecere. Indus vitâ defunctus lamentabili sanè statu, domestico se videndum præbuit: nam ardentibus vndique facibus cincto, flammæ ex ore, auribus, naribus atque oculis erumpebant : addiditque, idèò se in infernum præcipitem actum, quòd pœnitentiam sibi ob

ob delicta impositam explere neglexisset.

Missæ verò sacrificio, antequàm opus ali- *Missæ au-*
quod arripiant, vt plurimùm solent interesse. *ditio.*

Indus, quòd diu in templo Patrem expectas-
set, neque de eius aduentu quidquam nuntia-
retur, non audito. Sacro se domum recepit;
opusque aliquod aggressum vipera, quarum
plurimæ venenatæ ac pestiferæ his in locis re-
periuntur, eum inuasit: sed inuocatâ Beatissi-
mæ Virginis ope, adiectoque proposito Mis-
sam nullo die in posterum omittendi, illæsus
euasit. Nontamen euasit alter, qui die festo
operatus, viperino morfu extinctus est: quam *Festorum*
pœnam omnes à Deo mandatorum suorum *violatio.*
vindice profectam asseruere.

Pueri etiam minimi magnâ alacritate atque *Catechi-*
affectu Christianæ doctrinæ expositioni in- *smorum*
tersunt. Ex iis vnus de Patre audierat graue de- *fructum.*
lictum esse Veneris die carnes comedere. Ma-
ter eius aduersâ valetudine affecta, carnem illo
die iusserat apparari; sed puer distinctionis in-
capax, arreptas canibus carnes obiecit, in-
quiens: Pater nos docuit flagitium esse eo die
carnibus vesci; eius doctrina per me inuiolata
stabit. Alter Indus adduci non potuit, vt de
gallinâ simili die sibi appositâ vesceretur: sed
neutiquam acquieuit, donec eam à canibus
deuorata accepisset.

Incredibili omnes sunt in Beatissimam Vir- *Pietas in*
ginem affectu, diesque ei festos solemnî Sa- *D. Virgi-*
nem. *nem.*

G

cra-

*Morbi eius
ope pulsi:*

*Item cereo
sacro.*

*D. Virgo
clienti ap-
paret:*

*Dæmonis
mina, D.
Virginis
ope elusa.*

cramentorum susceptione celebrare solent, atque in eius fidem & clientelam, se suaque omnia coniecere: quo fie ut eam medicam ac patronam in omnibus suis morbis atque angustis experiantur: nam à plurimis morbus abiit, Virgine Dei Matre iubente. Illud ad sacrarum cærimoniarum venerationem facit. Cereus in Purificatæ Virginis die à Sacerdote Ecclesiæ ritu benedictus, in manu depositi iam pueri collocatus, pristinum ei corporis robur repentè attulit. Aliis applicata Virginis imago, ad recuperandas corporis vires deperditas, non absimili modo supra naturæ vires profuit. Ex plurimis verò ab eâ depulsis animorum morbis, illud nequaquàm silentio inuoluendum. Deuotus Virgini cliens, domum ingressus, eam ob patronæ suæ præsentiam Angelorum comitatu septam, in cælum conuersam reperit: leniterque clienti suo misericordiæ Mater insusurrauit: Cur peccatum illud per confessionem non abiecisti? nomenque peccati subiecit, quod multis antè annis commissum ex eius memoriâ deletum erat: eoque dicto se ex eius conspectu proripuit.

Disrumpitur enim uerò dæmon, cum sua viperarumque domicilia, in cælum videt conuersa: & quamuis frendens innumeris rabiem suam modis ostentet, irritò tamen semper conatu, victus è certamine excedit. Indi duo nauem agentes, vultus quinque atro colore infectos

fectos flammis cinctos in medio sæuissimi turbinis conspexerant: cumque exanimis propè facti, nauem eò rectà tendere cernerent; alter ex iis se in genua coniecit, atque augustissimæ Virginis opem, quam in aliis aliàs sibi sæpè propitiam fuerat expertus, Angelicâ precatone implorat: ac sacro MARIÆ nomine audito, continuò in fumum caterua illa dæmonum auolauit. Quâ re ad pristinum erga Virginem Matrem Indorum affectum & cultum non parua accessio facta est. Similes etiam turbines non rarò à Patribus conspecti fuêre. Ex iis quidam vehemētissimo imperu secum omnia inuoluens, in Reductionem hanc irruere velle videbatur: sed imperu in vicinas arbores deriuato, earum quamplurimas tum mole, tum proceritate vastas, radicitus euellit.

S. P. N. Ignatius maximæ omnibus, at mulieribus in primis, est venerationi, quòd in partibus in lucem edendis, sæpè eum sibi præstò fuisse, experimento didicerint. Propè ab hac Reductione montes absunt frequentibus populis nondum reductis habitati. Patribus auctor fui, vt eò excurrerent, atque ex arboribus, iuxta quas illi comneare solent, insertos funiculis hamos, globulosque ex vitro, cæruleos, ac similia, quæ ipsi maximi faciunt, sciuntque à Patribus nostris proficisci, suspenderēt. Sperat P. Antonius Ruis fore, vt propediem insignis ex iis Reductio construatur. Nonnulli

*Pietas in
S. Ignatiū.*

*Modus
barbaros
alliciendi.*

*Indi alij
alios ad fi-
dem addu-
cunt.*

*P. Marci
Marini
mors &
virtutes.*

harum Reductionum incolæ superiore anno ex infidelitatis tenebris emergere, adeò ut Christianâ iam omnes doctrinâ ac moribus sint imbuti. Duos siluestribus similes Lauretanæ Reductionis Indi ad Patrem deduxerant: qui Patrum Indorumque viuendi modo perspecto, ad suos regressi, centum ac viginti familias paullò post secum reduxere, qui iam omnes Christiana sacra, adspirante Deo susceperunt. Sed his fructibus Reductiones hæ minimè contentæ, alium longè iucundiorum Paternitati Tuæ offerunt, ipsum P. Marcum Marinum, insignem profectò, etsi tironem, operarium, annum Societatis decimum, virè septimum & vicesimum agebat. Vir fuit illustribus sanè virtutibus cumulatus. Nemo enim fuit, qui vel tenuissimam labeculam, vel minimam regularum transgressionem, vel actionem, quæ perspicacissimos etiam oculos offendere posset, in eo vnquam obseruârit. Ipsa exterioris hominis atque oris compositio, internam animi constitutionem ac puritatem manifestabat, quâ assequebatur, ut omnium in se oculos atque animos conuerteret. Denique omnia paucis complectar, si dixero vel humilitate, vel mansuetudine, vel caritate, vel mortificatione, vel ceteris demum virtutibus, suauissimo Fratri nostro Ioanni Berchmans valdè similem, ac pænè geminum, dum studiis vacaret, fuisse: ita doctrinæ ac virtutis studia nouerat coniungere:

gare: didicerat etiam ex B. Patre Anchieta singulis Sabbathinis diebus Superiorem adire, pœnam aliquam publicam rogaturus, quâ opera sua repararet, in quibus eâ septimanâ à rectâ regularum amussi deflexerat.

REDUCTIO S. IOSEPHI.

Situs, non temporis seriem prosequendo, *Municipiū S. Iosephi.*
tertium locum occupat S. Iosephi Reductio, quæ inter has, quas modò diximus, & S. Francisci Xauerij Reductionem interiecta est. Dedit huic initium P. Antonius Ruis, cuius gloriosis laboribus uti præcedentes annuæ refertæ fuere, ita & hæc exornabuntur. Extructionis occasio fuit emolumentum maximū quod profecturum videbatur, si S. Francisci Xauerij Reductio cum duabus antiquioribus, de quibus modò egimus, mediante hac Reductione connecteretur, tum ad declinanda Latibagiuæ fluminis vadis & scopulis refertissimi pericula, tum ut eius anfractibus cuitatis, compendiarie via terrâ reperiretur.

Itaque suos ipse P. Antonius labores, quos cum P. Simone Mazeta in inchoandâ hac Reductione perpeffus est, exprimat. Exeunte, inquit, Maio anni 1625. viâ nos simul commisimus, P. Franciscus Dias flumine, ego cum P. Simone Mazeta terrâ, S. Francisci Xauerij Reductio-

*Littera P.
Antonij
Ruis.*

ductionem petitori. Indos quosdam terrâ præmiseram, qui explorarent, hominésne an feræ eas terras incolerent. Itaque Caciquius quidam, nuntio de aduentu nostro ab exploratoribus accepto, filium nobis suum cum nonnullis aliis obuiam misit, quibus comitibus adducibus, difficili sanè atque arduâ viâ iter fuimus ingressi; vixque vestigia præeuntium assequi poteramus, notis, quas ad reperendam viam reliquerant, non apparentibus. Solent enim Indi in itineris signum, arborum ramos confringere, atque ex rami cicatrice magis vel minùs recepte, norunt quantum temporis à transitu effluxerit. Ac subinde nobis contingebat, ut ob silvæ densitatem, in exiguo loci spatio multum temporis quærendis signis inlumeremus. Reformidabant prætereà Indi, quos mihi comitès adsciueram, aiebantque Caciquium illum, suum ad nos filium confidente forrè astutiâ misisse, ut nos ad se deductos trucidaret.

*Nota tri-
sarum
viarum.*

Postero die Caciquius, cuius filius itineris ducem agebat, in occursum nostrum venit: qui aspero atque inculto itinere, si itineris nomen, ob silvas, rupes ac torrentes id intercipientes, mereatur, ad suum nos populum deduxit. Degebant hic in valle tam altâ, ut Limbus mihi obuersari videretur, atque illic optabat Reductionem extrui. Subtrici quidem eo die, insequente verò ei persuasi locum illum habitationi

*Profunda
vallis.*

tioni maximè ineptum ; ipsum etiam aërem
 necessariæ respirationi deesse. Alterum itaque
 locum, qui Caciquio arrisit, Reductioni desti-
 nauit. Is iuxta flumen situs erat, quod in Lati-
 bagiuam influebat. Eò quamprimùm Caci-
 quij nonnulli confluxere, non tamen omni
 metu deposito: verebantur enim ne eos ad an-
 tiquas Reductiones deducere conaremur; at-
 que vt hoc illos metu liberarem, P. Simonem
 ad eos in fide instruendos, & ceteros reducen-
 dos, illic in pignus commorari iussi. Reductio
 hæc magni facienda est, ob aliarum Reductio-
 num commercium, quod mediante hac com-
 municatur. Hactenus P. Antonius.

In harum Reductionum visitatione quidam
 mihi Patres proposuere, vt Reductionis huius
 populus, eò quod esset infrequentior quàm
 ceterarum, in veteres Reductiones distribu-
 retur. Verùm Reductionis huius incolæ, id
 quod agebatur, suspicionis odore sensere. Ita-
 que ad me venere multis precibus instantes,
 vt neque se ex suis terris extrahi permitterem,
 neque Patres abs se aliò auocarem: se vehe-
 menter baptismum Christi quæ fidem ac reli-
 gionem expetere, sed non posse se in alias
 terras demigrare. Is recepi fore vt à Patribus
 non defererentur. Et certè S. Iosephus, qui in
 huius Reductionis patronum delectus est, eius
 patrociniū suscepisse videtur. Nam haud ita
 multò post, præter ducentas familias Christo

*Conuersio
 & amplia-
 tio Redu-
 ctionis, opus
 S. Iosephi.*

genitas, sex propinquorum vicorum Indi eò confluxêre: scribitque ad me P. Antonius, se non leui coniecturâ ductum, opinari, facîle quindecim circa eum locum Indorum vicos esse, qui omnes ad hanc Reductionem diuino fauore per S. Iosephum obtento reducentur.

R E D V C T I O

S. FRANCISCI XAVERII.

*Municipij
S. Xauerij
magni pro-
gressus.* **Q**Varta Reductio præcedente paullo antiquior, in S. Francischi Xauerij tutelâ & curâ est, cuius initia in annuis proximè præteritis Paternitati Tuæ exposui: nunc de eius progressu nonnulla subiiciam. Is tantus est, ut cùm ab exiguis initiis cœperit, vno abhinc anno mille ac trecentas familias numerarit: adeò ut necessarium fuerit, ne multitudo politiam & gubernationem impediret, terminum præfigere, quem ultra, nemo ad hanc Reductionem admitteretur.

*P. Antonius Ruis
sine duce
per inuia
iter agit.* Sed inchoatum P. Antonij iter, quem in S. Iosephi Reductione reliquimus, prosequamur. Sic igitur inquit ipse: P. Simone in S. Iosephi relicto, ad destinatum iter conficiendum me accinxi. Caciq̃uius se mihi viæ comitem obtulit ad eum vsque locum, quem venationi suæ terminum præfixerat: sed aiebat fore ut illinc reuerteret, quòd incognito itineri nullo se pacto committere vellet: alius nemo erat, qui

qui viam nosset. Neque tamen ab incepto itinere, solâ Dei fiduciâ nixus, propterea destitit. Primo die montium arduitatem, silvarum densitatem, vtrorumque asperitatem peruasimus. Altero die semitam amisimus: quare ex intervallo subeunda erat arbor eminentior, ex quâ certus aliquis locus designaretur, ad quem (ne fortè iter iam confectum relegeretur) recto itinere tenderemus. Ipso S. Iacobi pervigilio mandioca simulatque aqua nos deficere *Panis & aqua inopia.* cœpit. Cùm verò ad peragendum incruentum Sacrificium, antiquo Ecclesiæ ritu paullulum aquæ vino consecrando soleat admisceri, coactus sum propter aquæ defectum à Missæ celebratione triduum abstinere. Diuinâ tamen benignitate factum est, vt insequentibus diebus lignum quoddam, *izipo* vocant, reperiremus, quod fissum aquam perfrigidam ac palato gratissimam nobis suppeditavit: quâ sitim saltem restinguere licuit, etsi non ad Missæ Sacrificium vti. Cibus verò omnis palmarum erant folia, igni subiecto tosta.

Tanta verò erat silvarum densitas, dumentorumque ac sentium copia, vt non vestium modò, sed etiam calceorum frustra iis adherescerent. Et certè sanguis vndique è meis atque Indorum cruribus emanabat; vsque adeò vt vltèriùs progredi nos posse diffiderem. Præter amplam tamen merendi segetem, suauissima mihi contemplationis materia suppetebat,

G s bat,

bat, dum IESV CHRISTI Domini mei dolores & cruciatus continente memoriâ retractarem; qui certè incredibili sapore omnes hîc labores ac pericula condiunt. Ipse dux, viâ ignarus, quò se verteret, ignorabat. Tandem inter vespertinas preces, quas cum Indis quotidie recitabam, defluentis aquæ murmur percipimus. Cœpère Indi abiectos dudum animos erigere, atque ego incredibili lætitiâ perfundi, quòd aqua nobis suppeteret, quâ vino infusâ, Christi sanguinem conficere, sicque immaculatum Deo sacrificium offerre possemus.

Postero die illucescente, delabentis aquæ murmur secuti, integrum diem absumpsimus, cùm tamen vix milliari distaremus. Atque vbi ad fluminis ripâ venimus, Tepotiatû amnem esse cognouimus, quem vbi attigimus, in laborum meorum solatium, Caciquius mihi comes dixit: Pater iam ad flumen peruenimus: quòd vlteriùs progrediendû sit neque vsu habeo neque ratione compertum: deliberatum mihi est regredi, vt videam quid rei in Reductione

*Tepotiatûs
fluminis.*

*Deseritur
Pater ab
Indo duce.*

agatur. Vix explicem quanto fuerim gaudio cumulatus, cùm me in solius Dei manibus constitutum perspexi: magnâ vultus hilaritatè Indo gratias egi, promisiq̃ue fore, vt cumulatè ei Deus laboris mercedem redderet. Ego verò me in misericordiæ fontem conieci. Verbum, Pater, introitum atque exitum orationi dedit, quæ profectò longè quàm antea erat inflam-

*Fiduciam
in Deo locat.*

ma-

maior : omniq̃ue asseveratione R. V. possum
 affirmare, me non potuisse abstinere, quin præ
 gaudio subsilirem, cū me omni humanâ ope
 destitutum, ac solius Dei auxilio suffultum co-
 gitarem.

Rebus ita constitutis Indus, ex iis qui me *Dei provi-*
 comitabantur, ad flumen se conferens, casu ne- *dentia in-*
 scio quo buccinam inflavit : ad cuius sonitum *cidit in*
 altera protinus vltra flumen exaudita est, co- *alios ipsum*
 rum scilicet qui ex S. Xaverij Reductione in *quarentes.*
 meum occursum venerant. Hic stupor me cir-
 cumdedit, neque me cohibere potui, quin tam
 claro diuinæ opis indicio Deum à me stare
 expertus, tam benigni Patris providentiam
 lacrymis vbertim manantibus desmirarer, &
 cum S. Petro exclamarem : Exi à me, Domine,
 quia homo peccator sum. Traiecto flumine
 accepi, eos cū buccinæ sonitum inaudirent,
 inter se egisse, vt aduerso flumine conscende-
 rent : ego verò secundo flumine descendere
 iam statueram. Sed dato hæc extrema, média
 benignissimi Domini in misericordia connexuit.
 Quindecim omnino dies à Reductione ab-
 fuerā, atque vnius diei iter dumtaxat aberam.
 Et quamvis dici non possit quanto animi mei
 solatio ac iucunditate hæc acciderint; maiori
 tamen gaudio exultaui, cū inter eos Caci-
 quium vidi reductum, quem sæpè ad Christi *Indi ferocis*
 partes traducere exoptaueram : is verò sæpius, *conuersio,*
 vt à dentibus mihi suis cauerem, fuerat com- *ac deinde*
 mina- *zelus.*

minatus: atque ad id non vulgarem operam & conatum adhibuerat. Salute vltro citroque datâ & acceptâ; continuò Caciquiusis, S. Iosephi Indos, quibuscum venerat, in vnum locum conuocatos exhortari cœpit, verbis à Spiritu sancto magis acceptis quàm ab homine conceptis: Incredibile in se gaudium exoriri, quoties se Dei filium reputaret; quòd si ij eâdem pace ac gaudio interiore frui vellent, eius vestigiis insisterent, ac Patrum dictis audientes se præberent, multisque aliis orationem suam profecutus est. Haud aliàs tam alacrem ac lætum me vidi, quàm cùm ex ore humanis carnibus assuero, eas Dei laudes erumpere cernerem. Deinde defatigationem ex itinere meo relictam blandis verbis demulcere cœpit, cui ego desiderium, quo incensi eramus, exposui, vt ab iis deuoraremur, eorumque ora nobis ianuam esse ad æternas epulas certissimam.

*P. Ruis ad
S. Xauerij
municipiũ
appellat.*

Altero itaque die S. Francisci Reductionem ingrediens, P. Christophorum Mendozam ac P. Franciscum Dias, quem fluuiatili viâ miseram, reperi: qui, quòd tanto tempore hæsissem, magnoperè verebantur ne Indiis eibus factus essem. Sed aduentu meo, colloquiisque vltro citroque habitis, tum omnis eorum anxietas, tum omnis meâ lassitudo absterfa est. Populum hunc P. Christophori labore atque industriâ multis domibus ac villis exædificatis benè

audum

auctum reperi, gentemque ex asperâ atque im-
 mani blandam atque humanam factam. Est *Eius mu-
nicipij si-
tus.*
 hæc Reductio in campo sita: atque ab eâ Cam-
 pestrium natio, qui in campis degūt, exoritur.
 Hi omnes insignes agricolæ sunt, atque agrum
 opimum colunt, suamque nationem magni
 præ reliquis pendunt. Ipso S. P. N. IGNATII *Festum S.
Ignatij.*
 die, quod rem ritè dispositam cernerem, San-
 ctissimum Eucharistię Sacramentum illic col-
 locaui, ut tanti hospitis præsentia virtutum iis
 omnium accessionem faceret. Die isto suppli-
 catio, Missa, concio, ludi, variæque aliæ animi
 & corporis relaxationes institutæ. Sed præci-
 pua istis diebus solemnitas in conuiuio gene- *Conuiuio
generale
totius po-
puli.*
 rali consistit, quod de iis, quæ habentur, con-
 struitur, ad quod omnes Laconico more con-
 fluunt.

Et si in præcedentibus litteris annuis quæ *S. Thomæ
Apostoli in
Paraqua-
riâ memo-
ria:*
 dam dixerim de gloriosi Apostoli Thomæ no-
 ritiâ, quæ omnibus hisce Indiis peruagatur;
 & licet initio perexiguam prophetiæ cuidam
 fidem habuerim, quam referebant Indi de no-
 stro huc aduentu sanctum Apostolum prædi-
 xisse; tamen cum eamdem prædictionē, omni-
 bus circumstantiis atque adiunctis immutatis,
 ex tot diuersis Indorum nationibus, tanto lo-
 corum interuallo disiunctis acceperim, ut ne-
 que suspicio cuiquam iniici possit, eos inter se
 rem hanc communicasse, nedum confinxisse;
 visum mihi est eam hîc referre, quod eam eo-
 dem

dem planè modo denuò ex hac gente inaudierim. Afferunt itaque sanctum Apostolum maioribus suis prædixisse, (à quibus ipsi per continuam patrum in liberos traditionem id accepere) posteris temporibus aliquando fu-

*de Societa-
te. IESV ed
venturâ
prædictio.*

turum, ut ad eorum terras Sacerdotes sibi in Apostolico ministerio successores venirent, quidem Dei verbum, quod ipse iis annuntiabat, prædicarent; quodque hi mutuum eos amorem docerent, atque ut vnicâ tantummodò vxore contenti viuerent. Itemque fore ut Sacerdotes hi ad magnos eos populos atque oppida redigerent, omniq̃ue eos Christianâ doctrinâ ac politiâ informarent. Atque in huius rei signum in manibus suis, quemadmodum ipse, cruces gestarent: tumque fore ut Tupici, & Guaranici, ceteraque gentes sine ullâ vel nationum differentiâ vel æmulatione se inuicem diligerent. Imò verò in huius rei confirmationem afferunt, cum abhinc biennium ad eos venissem, crucemque in manibus meis vidissent, quam scipionis hîc vice gestare solemus, eos memores factos eorum quæ à parentibus acceperant, inter se dixisse: Hi profectò sunt, de quorum in has terras aduentu Sanctum Sumè, (ita S. Thomam vocant) prædixisse maiores nostri nobis asseruere: ac proinde se magnâ volûntatis inclinatione, terras suas, ut me sequerentur, tum temporis reliquisse. Et quamuis ratio eos mouens me tum præter-

ibat,

ibat, tantam tamen ac tam repentinam deliberationem admirari non destiti. Mirum profectò est quantâ alacritate ac solatio perfruantur, cum eam sancti Apostoli vaticinationem, tot maioribus suis in infernum deturbatis, in se adimpletam vident: quia ab insito iis naturali odio, quo in se mutuò exardescunt, atque ab immanitate quâ se trucidant ac deuorant, eos deducimus, atque ad mutuum amorem, quoad eius fieri potest, eos adducimus.

Caciquius in hac Reductione degit, qui præterquàm quòd in Christianæ doctrinæ scientiâ, atque in omnibus pietatis operibus primus est, in dies singulos ante lucem conuocato omni populo, benè longo temporis intervallo, magnâ eos energiâ atque efficaciâ hortatur ad Patribus amorem, reuerentiam atque obedientiam præstandam; utque in re nullâ iis tristitiæ ansam quisquam præbeat, sed in omnibus omnes iis morem gerere studeant. Hic antequàm Christi fidè suscepisset, eodem tempore ac modo suos ad scelera, ut nunc ad virtutem, exhortabatur: quin paullò antè solemni conuiuio exstructo insignem iis adulescentem Gualachum comedendum apposuerat: adeò cruentæ belluæ quàm mansueto homini similior erat.

Vnico anno in hac Reductione septingenti atque octoginta sex pueruli salutaribus aquis eluti sunt: iamque omnis haud dubiè populus
Chri-

*Crudelis
Caciqui
conuersio,
& zelus
insignis.*

Fames in eo oppido:
 Christiana sacra suscepit. Populum hunc tamquàm aurum in fornace Deus tentare voluit, eumque se dignum inuenit. Tanta enim hîc fames inualuit, vt P. Franciscus Dias, qui solus huic Reductioni præerat, pro omni prandio vnâ frumenti Turcici spicâ, adiectâ carnis particulâ; pro cœnâ, alterâ item spicâ sine vlllo adiecto, aliquot mensibus victitârît. Sed neque primæ huic ex tentationis fornace educationi Deus acquiescens, eos secundò in illam immisit. *triste incendium.* Ignis totum oppidum, solo templo intacto, depopulatus est. Quâ tantâ calamitate, tantum abest, vt (quod Pater verebatur) ad pristinas ineptias ac superstitiones abiuerint, vt etiam vltro ad Patrem venerint, ac fronte hilaritatem præferente eum his verbis consolati fuerint: Eia, Pater, noli te macerare: Dei voluntas facta est. Si is nobis domos, at non manus eripuit, quibus alias atque alias exstruere possumus. Atque è vestigio iis operi appositis, ordine atque elegantîâ longè maiori, integrum oppidum reædificarunt.

Incolarum constantia.

REDUCTIO BEATISSIMÆ VIRGINIS AB INCARNATIONE.

ET si quidquid de gentium harum Reductionibus hætenus diximus, perpetuum Dei miraculum hæud immeritò dici possit; eius

eius tamen bonitas ac prouidentia in hac Reductione magis elucere videtur. In eius narratione P. Antonius Ruis, ut in ceteris, primas sibi partes vendicat. Is oculos iam pridem Taiati terris adiecerat: sed se ei Suruba quidam magnæ auctoritatis Caciquius validè opposuerat, tam infidelitatis suæ tenax, quàm Christiani nominis ac Patrum inimicus. Et licet Caciqui non pauci aduentum Patrum exoptarent; huius tamen metu à nostrorum communicatione arcebantur. Suruba hic nonnullis Caciquiis, nobis infestissimis, sibi comitibus adscitis, Magni Taiobæ terras adiuerat, herbam sibi, de quâ superius prolixè egimus, collecturus. Eos Pindobius Caciquius comitabatur, qui tantam cum lacte ferocitatem suxerat, ut ab adolescente, non suis modò, sed etiam finitimis terribilis esset. Is est, qui ante biennium, cum primùm P. Antonius Ruis Taiobæ fines ingrederetur, coactâ barbarorum manu, eum capere, eoque in frustra diuiso, solemnes toti genti epulas adornare decreuerat: sed cognito postea Patrum viuendi modo, ferociâ in humanitatem, atque odio in amorem verso, Patres in terris suis vehementer expetierat. Itaque Taioba, simulatâ amicitia, ac dissimulato odio, liberum eis transitum dedit: at eorum necem in reditum distulit. Eos itaque redeuntes benè ab omnibus instructos, nihilque minus sperantes, Taioba cum suis adortus, Surubam

*Suruba
Caciquius
Christianorum hostis.*

*Pindobius
crudelis
Caciquius.*

H bam

Suruba occisus.

Euadit à pralio Pindobius.

bam ceterosque omnes occisione occidit. Solus Pindobius thorace gossipio facto indutus, clypeo tela, quæ ex aduerso ingerebantur, excipiens, strictoque gladio ita strenuè rem gessit, ut ipse cum tribus sociis per ingentem sagittariorum manum petrum pens. euaserit. Clypeum verò hunc atque ensẽ paulò ante à Lusitanis ex S. Pauli oppido in Brasiliã eò penetrantibus, eripuerat. Victores mirum in modum ouantes, in foueam occisos coniecere, ut eos in solemne conuiuium reseruarent, ad quod gentem suam omnem ac finitimos etiam conuocarent.

Conuertitur ad fidẽ.

Ita miser ille Suruba, qui Deo ac nobis adeò infestus, iter ad suos obstruere conabatur, infelicem suum diem obiit, eorumque, quos sibi amicos arbitrabatur, dentibus comminutus est. Monstro verò hoc debellato, campus hîc Christo patuit paruitque. Ipsum verò Pindobium in florentissimi populi Ducem Dominus eligere dignatus est: nam is attentè considerans, ad quantam humanitatem ac pacem, ex tantâ atrocitate & continente tumultu, nostrorum operâ S. Francisci Xauerij incolæ deuenissent; multis precibus P. Antonium Ruis deprecatus est, ut se quoque Christianis sacris inter eos initiaret. Sed Pater, tum ne occasio præberetur ad antiquas rixas ac pugnas inter has nationes suscitandas, tum quòd ei videretur Pindobius ob animi magnitudinem imperio

rio dignus, ei virgam regiminis symbolum de-
 dit, quam maximi faciunt à Patribus nostris
 acceptam: sed cum ad prædictam Reductio-
 nem admittere inconueniens existimauit. Sic-
 que ianua, ad extruendam eam, de quâ modò
 agimus, Reductionem, patuit. Cuius ortum
 P. Antonius Ruis in epistolâ ad me datâ ita de-
 scribit: Quàm primùm S. Xauerij Reductio-
 nem attingi, nihil mihi fuit antiquius, quàm vt
 euestigiò Pindobij terras peterem. Sed tot ra-
 tionibus eius Reductionis incolæ ab eo me
 proposito detertere conati sunt; vt omni asse-
 ueratione R. V. confirmare possim, si nulla
 mihi aura diuinæ voluntatis afflauisset, fieri fa-
 cilè potuisse vt ab eo deductus fuisssem. Aie-
 bant nimirum sibi parentem, mihi vitam eri-
 piendam: ipsum Pindobium artificio simula-
 tionis eruditum aliud ex ore promere, aliud in
 animo reconditum habere: gentem eum coë-
 gisse, vt me festiuo plausu trucidatum, iis com-
 edendum apponeret: se vel ipsâ eorum recor-
 datione, quæ mihi euētura essent, perhorresce-
 re: fore vt non solus ego, sed & ipsi omnes, pa-
 trem, vitam, ac reimp. tam benè fundatam, tam-
 que altâ pace perfruentem amitterent: se enim
 omnes discrimini capita obiecturos, vt iustam
 de morte meâ vindictam sumerent. Denique
 tot alias rationes congersere, vt longum esset
 vel minimam earum partem recensere.

*Quorundam
 municipio-
 rum Reduc-
 tiones consti-
 tuantur.*

*Ita ad Pin-
 dohium
 P. Ruis,
 dissuaden-
 tibus inco-
 las oppidi
 S. Xauerij.*

Venere illis diebus ad me tres Caciquij à

H a

Pin-

*Caciquij
ad eum de-
ducendum
missi: idè
ab incolis
malè exce-
pri.*

Pindobio missi, vt me accerferent: sed omnis populus asperis verbis in eos inuecti, atque iis vehementer comminati sunt, vt sibi cauerent, vel verbum nobiscum de itinere facere: neque viri dumtaxat, sed ipsæ etiam mulieres in hunc eos maximè modum compellabant: Quæ, malum, isthæc audacia est, Patres nostros sermone ad fraudem composito nobis eripere velle? neque vllò pacto patiebantur, vt Caciquij hi soli nobiscum agerent. Sed arbitris omnibus secedere iussis, eos conueni, dixi quæ iam dudum mihi esse in animo eorum terras adire, quidquid futurum esset. Et si me viuum manderent, me tanto eorum amore teneri, vt magis eorum mihi salus cordi esset, quàm vita mea voluptati. Quibus auditis, vox iis restitui visa est: antè enim omnes obmutuerant; tum verò simul omnes in hæc verba erupère: Pater, Pindobij huc iussu venimus, vt te ad terras nostras deducamus, nobis quæ rectum salutis iter ostendas, viuendi quæ modum præscribas: verùm tui hi filij, tanto tui amore flagrant, vt numquàm permissuri sint, vt te nobis comitem adiungas: nobis enim vehementer comminati sunt, magnoperè caueremus hac de re tecum communicare: nos quæ in inuidiam vocare student, vt quæ malè apud te audiamus, asserentes nos eo huc consilio venisse, vt Patres per dolum euocatos mactemus & comedamus.

Pluri-

Plurimum his gauisus eis dixi, vt triduum
 dumtaxat me oppèrentur: fore vt eo confe-
 cto cum iis proficiscerer. Non facile dixerim
 quantas contumelias ac probra hoc triduo
 perpeffi fuerint. Quo euoluto, Patre Christo-
 phoro socio mecum assumpto, eò iter direxi-
 mus. Quotquot erant in Reductione Caci-
 quij, se mihi viæ comites magno affectu atque
 alacritate offerebant: sed paucos mecum In-
 dos duxi. Quarto die Pindobij sedem attrigi-
 mus, qui vias omnes adornari crucesque pas-
 sim in iis erigi, quin & templum, quamuis exi-
 guum, in aduentum nostrum iusserat exædifi-
 cari: quinque item ingentes triumphales arcus
 in eum finem erant constructi. Eius verò vi-
 cum vbi fuimus ingressi, omnia festo tympa-
 norum buccinarumque sono reboare cœpere:
 frequens populus vtriusque sexus incredibili
 auiditate continuò aduolauit. Verba ad eos
 feci itineris mei finem exponens, ceteraque
 quæ pro opportunitate dici posse videbantur:
 meque dicentem summâ sunt attentione pro-
 secuti.

*Honorificè
 excipitur à
 Pindobio:*

Finito sermone Pindobius ad nos venit,
 multa beneuoli in nos animi signa exhibens;
 doloremque non vulgarem præferens, quòd
 non antea in nostram se consuetudinem in-
 nuasset: atque vt ad domum suam nos recipe-
 remus comiter inuitauit. Haud aliud ædifi-
 cium in omnibus hisce Indiis, Hispanorum

*Pindobius
 ei domum
 suam inco-
 lendam
 tradit.*

H 3

etiam

etiam ædibus annumeratis, elegantius constructum vidi. Neque ipse tamen reuerentiâ ductus voluit in iisdem ædibus commorari: sed sibi alteras iuxta has iussit exædificari, quæ propter operarum multitudinem ac sedulitatem, breuî fuere exstructæ.

Ipsæ ædes dum eò aduenirem, sudibus ac vallo erant circumcirca munitæ, ob Caciuij cuiusdâ metum, qui suis excursionibus omnia infestabat: atque is in Pindobij familiarissimis quondam fuerat; sed amicitia ac pace in odium ac rabiem conuersâ, Pindobio absente, eius matrem comederat: Pindobiusque vicissim plurimos Caciuij familiares dentibus comminuerat: atque ante meum aduentum Indas nonnullas Caciuius secum captiuas auexerat, Pindobiusque cum fuerat insecutus, sed eo die assequi non potuerat. Hostes itaque eâ nocte puerulos tres octennes assarunt, quos cistis impositos secum deuehebant, ad publicas ex iis epulas instituendas. Postridie ubi eos Pindobius fuit assecutus, videntes se non posse resistere, se in fugam hostes dedere: sed mulieres Indas prius, quas secum captiuas deuehebant, alias iaculis confodere, alias fustibus mactauere. Itaque Pindobius trium puerorum assatorum, mulierumque occisarum corpora prædam iiseripuit. Cumque ego huc adueni, Indam ex iis reperi animam agentem, quæ sola superuixerat, quamuis bina
ei

*Barbara
Indorum
epula.*

ei iacula per vbera adacta. in tergo constite-
 rant ; vnde ob sanguinem in corpore concre-
 tum, omnibus membris intumuerat. Ei salutis
 aquam adpersi, nomenque Mariæ imposui;
 fuitque prima, quæ Ecclesiæ ianuam in his ter-
 ris ingressa est: factumque est, Beatissimâ Vir-
 gine opem ferente, vt post riduum à sacrâ ab-
 lutione, pristinis corpori viribus restitutis sur-
 rexerit, ac leucam vnâ pedibus confecerit, ad
 eum scilicet vsque locum, in quo Reductionis
 sedem collocauimus. Pindobio enim persuasi
 fore vt relicto munitiore loco, si in Dei nos
 tutelam coniceremus, multò securiores esse-
 mus. Mirumque est quantum iis omnibus hoc
 propositum arriserit. Locum itaque situi per-
 opportunum in Taiati terris reperimus, quem
 hinc rupes tutabatur, illinc insignes pinus ma-
 gnâ camporum varietate adornabant : amnis
 verò præterfluens, præcipuo loco huic orna-
 mento atque emolumento erat.

*Baptisma
 vires cor-
 poris con-
 firmata.*

*Reductio
 in Pindobij
 terris in-
 choata.*

Ipso S. Laurentij peruigilio crucem cubito-
 rum facile triginta ereximus, quam Dominicâ
 oratione atque Angelicâ salutatione, contentâ
 voce, recitatâ, omnes genibus innixi extemplò
 adorarunt. Atque ex eo quod referam facile
 videbitur quantam populo huic rerum sacra-
 rum existimationem diuina bonitas initio
 comunicârit. Puerulus erat, qui antequàm
 crux esset sublata, rectâ eò tendere videbatur
 vbi crucis brachia humi iacebant. Parens fortè

*Crux so-
 lemni-
 ter erecta.*

H 4 illic

*Reueren-
tia rerum
sacrarum.*

*Nomen
datum op-
pido.*

*Magistra-
tus creati.*

illic præsens, ne filius ea pedibus calcaret, arreptum brachio puerum increpans, ait: Quò te agis, puer? si nescis, lignum istud crucis Deo dicandæ est: quapropter caue id pedibus conculcâris. Festo S. Laurentij die, ad crucis pedem sacrum Missæ officium celebrauimus: conuocatâ deinde omni gente sortes miscuimus, ac terriò Incarnationis nomen educitum est: quare eo nomine Reductionem vocari placuit. Tum Magistratum iussimus, Pindobium populi Ducem, alios Prætores, Senatores, apparitoresque creauimus. Ac paullò post mirum in modum hic populus accreuit. Inter ceteros, Caciquius cum omni suâ gente ad eam se reduxit, qui tantæ in his partibus notæ est, vt Taioba, de quo postea agam, de eius conuersione mecum sermonem miscuerit. Eiusque exemplo plurimi alij Caciquij ad fidem allicientur, quorum nomina in commentarium retuli. R. V. per IESVM CHRISTVM obtestor, vt ad nos operarios mittere dignetur, quia ij in plurimâ messe paucissimi sunt. Aueo enim in Ybiangui me conferre, qui locus tridui ab Incarnatione abest, vt Caciquiorum nomina ex meo commentario in vitæ librum transferantur. Nemo profectò credat, quanta hîc laborum sit & consolationum affluentia.

*Campe-
strium Re-
ductio.*

Reductio hæc Camperorum, vel rectius Campestrium dici potest, quorum ad fidem conuersionem tanto ardore ac studio sumus profe-

profecti: sed de iis inferius agemus. Orientem versus Reductio hæc Taiobæ terras respicit, bidui itinere interposito. Rebus hoc modo cõstitutis, R. V. me ad Assumptionem euocavit: quare quantâ maximâ potui celeritate Villaricam contendi: atque aliquos Caciquios in itinere repertos cum gente rebusque suis ad Incarnationis Reductionem misi. Aliquot sunt iuxta Villaricam Indorum pagi, quorum cura deputato ab Episcopo Sacerdoti commissa est: & quoniam Societas ad euitãda cum iis dissidia, præsertim cùm vtilius citra villas rixas operã suam impendere possit, eorũ nolit curam suscipere, fit vt in densissimâ aut ignorantia aut infidelitatis caligine demersi maneant. Hinc tripudiis, arcubus triumphalibus, ac festiuo plausu, quoad eius fieri potuit, accepere, Creatori suo in vilissimâ suâ creaturâ honorem exhibendo. Quacumque transibam tanto animorum sensu me supplices deprecabantur vt apud se commorarer, seque Christianâ fide ac virtutibus erudirem, vt ferum quemuis ac ferreum animum flectere possent. Ego verò dolore tabescebam, cùm tanto eos Sacerdotum desiderio incensos, tamque ab omni spe eos habendi remotos conspicerem: si enim Societas eorum curam susciperet, clerus omnis aduersus eam insurgeret, diceretque eam nihil non suum facere velle.

*Indorum
beneuolen-
tia in Pa-
tres Socie-
tatis.*

Villaricam ex improviso sum ingressus, Hi-

H 5

spanis

*Expetitur
Villarica
Societas.*

spanis nihildum de aduentu meo suspicantibus, quòd intellexissem, exteriorem quemdam eos apparatus, ad me accipiendum, moliri. Omnesque vehementer institère, vt vel meam vel Socij cuiuspiam operam sibi ab omni spiritali auxilio derelictis impenderem. Sed tanta alibi messis, in tantâ operariorum penuriâ, ad neutram me petitionem descendere fuit. Attonitis verò similes hæserè, cùm S. Iosephi atque Incarnationis Reductiones structas cognouère: non attendentes quantum maioris virtutis sit diuini verbi atque amoris ignis, quàm pulueris cuiusuis tormentarij. Denique eâ spe eos adiutos reliqui, magno R. V. iis opem ferendi desiderio teneri.

*Turbatur
Incarnationis
Reductio.*

Hinc ad S. Xauerij Reductionem me contuli. In itinere Caciquium mihi obuiam factum leniter admonui, Quousque tandem in filium Dei assumi differret? quí fieret vt proposito sibi vicinorum exemplo, se non reduceret, ac vitam suam turbulentam in tranquillam commutaret? ab eoque maximopere contendì, vt in Taiobæ me conspectum deduceret: quod se mihi facturum recepit. Sed sinistrum hîc nuntium de Incarnationis Reductione accepi, hac occasione ortum: dixeram P. Christophoro eius Præsidi, vt si qui ex hac Reductione (quòd in recentioribus maior patiendi seges offerre se soleat) ad S. Francisci Xauerij Reductionem emigrare vellèt, liberè eos transmeare

meare sineret. Multi hanc sibi facultatem oblatam avidè arripuere. Quo cognito, populares tumultu concitato, viâ quâ transirent obseptâ, transfugas adorti in vincula eos coniecere, atque vnum ex iis, vim à se propulsare conantem, cadauere in itinere relicto, interemeret. Neque ita multò post quidam ex S. Xaverij Reductione, ad Incarnationem proficiscentes, conspecto in viâ cadauere, regressi, Incarnationis populum, seditione excitatâ, Patrem morte affecisse ventilarunt. Vnde obductæ veterum rixarum cicatrices in his populis renouatæ sunt. Sed Dei auxilio, ac Patrum prudentiâ factum est, vt omnia vtrîmque composita fuerint, nihilque ab illo tempore vltius acciderit. Hactenus P. Ruis.

Parum omnino abfuit quin P. Christophorus Mendosa, qui huic Reductioni præerat, cum omni populo, ob causam mox dicendam, perierit: sed Beatissima Virgo, in cuius clientelâ Reductio hæc sita est, sibi deuotos protexit.

INTROITVS

A D

INDOS CAMPESTRES.

Temporis potius series, quàm locorum, interruptenda videtur. Quare licet illa de quibus modò agimus, ea quæ mox dicemus, si temporum ordinem attēderimus, subsequantur;

*Indi Campe-
pestres.*

tur; Indi tamen hi Campestris tantam cum Incarnationis incolis connexionem habent, ut alterorum ex alteris notitia plena dependeat. Ab hac Reductione spatiosi campi protenduntur, à quibus incolæ Campestris appellantur: qui alia tamen etiam nomina sortiuntur: nam & Capillati à prælongis capillis humeros contegentibus, & Coronati dicuntur à comis in vertice rasis, Monachalis coronæ speciem referentibus; quas non viri modò, sed & mulieres & pueri sibi aperiri iubent:

*Iidem Ca-
pillati &
Coronati.*

*Oppidum
Incarna-
tionis, Pa-
trum odio,
opprimere
cogitant.*

Sæpè ad eos à nostris tentatus est aditus: sed omnem vndequeque viam dæmon iis intercluserat: tantoque in Patres odio incensi ferebantur, ut id non valentes comprimere, cum inaudissent eos sibi tam propinquos, statuerint armatâ manu Incarnationis Patrem, incolasque nec opinantes adoriri, eosque immani barbarie trucidare. Quare conflato exercitu, ex occulto castra metati sunt: atque ut maiori, res certitudine ac securitate perageretur; adolescentem speculatorem subornarunt, qui & hostium copias exploraret, & cum eos magis incautos cerneret, sibi indicaret. Fuerat perexiguo temporis spatio in Reductione adolescens, seque ut vnum de populo gerere affectabat: sed attonito stupentique similis, utpote qui numquam in communi vitæ societate vixerat, ad singula hærebat; adeò ut quamprimùm suspectus haberi cœperit. Itaque eum inter-

*Eorum ex-
plorator
detectus:*

interrogant, quis ei parens, qui consanguinei,
 quis Caciquius esset: atque ut multa confingeret,
 non tamen adeo simulare potuit, quin pro
 extraneo haberetur: manibus itaque post ter-
 ga reuinctis, cum in Patris conspectum addu-
 cunt; quod ultimum est tam ciuiliū, quàm
 criminalium actionum tribunal: causâque ex-
 positâ, ut adolescentem Pater in contumaciâ
 persistentem vidit, arbitratus nimirum silen-
 tio facinus subesse, virgis eum cædi iussit: sed *torquetur:*
 neque iis extorqueri potuit, ut rem violato si-
 lentio proderet. Igitur pertinacē animum ultra
 non tentandum ratus, dimissis arbitris vinctum
 apud se iuuenem Pater iubet commorari. Ipse
 verò arrepto libro ad diuinum pensum persol-
 uendum se accingit. Atque ut clementissima
 diuinæ prouidentiae ratio emicaret, dæmonis-
 que vel machinæ vel cuniculi in suam ipsius
 perniciem reciderent, res contigit, quæ & pe-
 riculum depulit, & quidquid fraudis delitesc-
 bat detexit. Ut enim barbarorum horum ani-
 mi innumeris superstitionibus illaqueati, ab
 hoste humani generis occupantur, totque in-
 ter eos incantatores degunt, qui miris præsti-
 giis inuoluta quæuis euoluunt; simulatque *tandem*
 adolescens Patrem librum referantem vidit, *omnia apa-*
 (ut sciunt nos per epistolas arcana quæuis *rit.*
 communicare) extemplò in hæc verba erupit:
 Pater, ne quæso, ne mihi verbera ulterius in-
 fligi cures, meque à vinculis his expedias, rem
 tibi

*Tupa-
quatia li-
ber vel epi-
stola.*

tibi omnem aperiā. Cū enim sciam Tupa-
quatiā (ita librum vel epistolā appellant)
tibi iam nunc rem omnem indicasse, silentio
meo nihil nisi plagas euincam. Tum nefarium
scelus conceptum, remque omnem, ut erat, ex
ordine detexit: se ab iis missum, qui incredibili
cupiditate Patrum carnes gustandi teneren-
tur, quibusque erat deliberatum ex improviso
Reductionem vastare, omnesque eius incolas
nihil minus cogitantes opprimere, eò quòd
tam proiectæ fuissent audaciæ, ut Patres inter
se degere permisissent.

*Hostes re-
cedunt.*

Tumultu inter incolas excitato, cornicum
oculos, ut aiunt, configere decreuere; & quam
machinam hostes in suum exitium moliebantur,
eam in illos retorquere non dubitarunt.
Igitur Pindobius, comitante armato suorum
agmine, in incautum hostem impetum factu-
rus egressus est: sed uti speculator, præfinito
die nihil iis indicarat, hostis veritus nequid
fraudis subesset, ad suas se terras receperat.
Adolescentem verò Christianā religione in-
structum etiam atque etiam rogavi, ut munus-
cula quædam suis Caciuiis deferret, quibus
eorum animi captarentur: sed is metu deterri-
tus, nec prece nec pretio eò deduci vnquam
potuit, quòd assereret fore ut de se epulas in-
struerent.

Ex his perspicuè elucet quomodò ad hos
Campestres obseptus vndeque aditus hu-
mano

mano iudicio videbatur. Sed ubi humana spes deficit, ibi diuina auxilia præstò esse solent. Nam benignissimus Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, frendente licet dæmone, duplici nobis viâ ad eos iter aperuit. Vtrò enim Patrum operam anno sæculi vigesimo septimo sibi flagitarunt: quam rem ita mihi P. Antonius Ruis in litteris suis exponit: Io triumphe! Io triumphe! Pater mi, dux noster I E S V S CHRISTVS duplici milites suos laureâ redimere dignatus est. In Taiobæ enim terris (de quo in sequenti Reductione agemus) & Campestrium, debellato dæmone, vexillum Christi ereximus. Campestris duplici ad id ratione commoti sunt: altera est, quòd Tupici (Brasiliorum natio est, de quorum ferociâ in nostræ Societatis historiâ P. Orlandinus mentionem faciens, ait eos ducentis Paraquariensibus, qui Patrem Nobregam, vt Christianis mysteriis erudirentur, quæritabant, barbarâ crudelitate necem attulisse) Tupici, inquam, hi Campestrium vicum quemdam miserâ clade depopulati, nonnullis ex iis vincula iniecerant. P. Christophorus eius rei certior factus, Pindobio comite assumpto, copiisque instructis eò se contulit; ac Tupicos ex inopinato adortus, iis secures, arcusque, atque omnia telorum genera eripuit, eaq; in Pindobij milites distribuit: atque eos, seuerâ verborum castigatione, acerri-

*Aditus ad
Campe-
stres Pa-
tribus pa-
tesfactus.*

*Littera
P. Antonij
Ruis.*

*Tupici sua
Tupina-
quini, Bra-
sili crude-
les.*

*Lib. 14.
129.*

*victi à
Pindobio
liberatis
Campe-
stribus.*

acerrimâque comminatione præmissâ, si quid in posterum simile tentassent, dimisit. Ipsos verò Campestrès è vinculis exemptos secum ad Incarnationis Reductionem duxit : vbi postquam omnia iis humanitatis officia exhibuit, munusculis honoratos ad suos remisit, eâ conditione latâ, vt ad Reductionē quamprimùm reuerterentur. Qui cum omni propinquorum atque amicorum turbâ, modico temporis spatium interiecto, vti promiserant, magnâ alacritate reuerterunt.

Haud ita multò post decem Caciquij inter Campestrès nominatissimi, Taiobæ exemplo permoti, (quæ altera eos causâ vt reducerentur impulit) nuntio ad nos misso, vehementibus precibus adhibitis, per Deum sunt obtestati, vt ad se venire ne grauaremur. At Pater mihi deerat, quem eò mitterem; (tanta est hîc ab iis solitudo) adeò vt necesse fuerit P. Franciscum Dias ex S. Francisci Xauerij Reductione euocare, P. Petro de Mola in eius locum substituto, vt eum ad Campestrès mitterem, vbi prima Reductio de R. V. sententiâ ab Apostolorum Principe nomen accipiet. Atque hic est Campestrium status. Ex aliâ eiusdem Patris epistolâ accepi, Reductionis huius iam alta iacta esse fundamenta.

*Oppidum
S. Petri
apud Cam-
pestrès.*

RE-

REDUCTIO VII. ARCHANGELORVM IN TAIOBÆ TERRITORIO.

HAud sanè scio an alibi in orbe terrarum
 illud Christi Domini Apostolis dictum,
Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, æquè atque Luc. 10. 3.
 in his Guairanis Prouinciis conueniat. Qui
 enim mittuntur sine vllâ vel præuiâ vel comite
 vi, sed solâ cruce armati, nationes Scythis qui-
 busuis immaniores subigunt, ac maximâ sua-
 uitate iis Christi iugum iniiciunt. Cruentas *Indorum*
 profectò potiùs atque infestas inter se bel- *incredibi-*
 luas, quàm homines communis vitæ societatis *lis barba-*
 amatores dixeris: quò fit vt nullum iis nomen *ries.*
 lupi nomine accommodatius adhiberi possit:
 tantâ enim rabie humanas carnes appetunt,
 tamque inexplebili in eas auiditate feruntur,
 vt ipsi infantes iis ablaçtentur: ac non rarò
 contingit vt Caci quij malefici non hostes mo-
 dò, sed suos etiam trucidant, eâ solâ ratione vt
 carne eorum gustent. Aitque de se P. Anto-
 nius Ruis: Ipse ego eorum dentibus non semel
 destinatus fui, sententiâ etiam solemni dæmo-
 nis oraculo confirmatâ, qui iis addîxerat fore
 vt me eorum manibus ac dentibus traderet.
 Sed sub vmbra manus diuinæ protectus fui,
 quæ eius destinata discussit: atque vt in me ra-
 I blem

*Puer Christi-
stianus ab
Indis deuo-
ratus.*

biem explere non potuit, eam in adolescentem recentem salutis vndâ merum mihi comitem deflexit, quem iis in meliorem comedendum exhibuit. Iam verò nemini dubium incidere potest, quin ab eo mittantur, qui eos inter lupos hos tam immunes ac securos præstat, ut tam ex iis videre licet, quæ hæcenus diximus, quàm ex iis quæ dicenda supersunt.

*P. Antonium Ruis
necis peri-
culo ere-
ptus.*

In præteritis annuis abhinc biennio missis P. Antonium Ruis in Taiobæ montibus ac siluis fugientem reliquimus, à sentibus ac rubis faucium, non verò suâ voluntate fugientem, sed Indorum, quos sibi comites adscripserat, precibus ac vi coactum, ereptamque ei à sociis è manibus martyrij palmam, cuius tam incenso desiderio ferebatur: ac barbaros non inuento Patre, quem ob Euangelij prædicationem quæritabant, immane suum odium, quo in eum ferebantur, in septem eius socios, quos dentibus discerpserunt, saturasse diximus. Quæ res adeò cum non deterruit, ut secundò ac tertio iisdem laboribus ac periculis sese caputque suum obiciens, eandem rem attentârit, eum sibi vnicum scopum præfigens, vel gloriosam pro Christo mortem oppetere, vel spolia de ipsis Auerni faucibus reportare. Eum itaque comitemur, quem in S. Francisci Xaverij Reductione paullulum respirantem reliquimus, atque in Taiobæ fines ingredi paratum.

*7. eius so-
cij deuo-
rati.*

Est hic Taioba Caciuius, de quo iure ambigas,

bigas, an maiorem sui existimationem an me-
 tum vel Hispanis vel Indis iniecerit. Atque eò
 fit vt Magni sibi nomen vendicârit. Ipsum P.
 Antonium eius ad fidem conuersionem de-
 scribentem audiamus: Vix, inquit, octiduum
 in S. Xauerij Reductione in sedandis exacer-
 batis incolarum in vicinos animis hæseram;
 cum incredibili Taiobæ videndi atque ad
 Christum adducendi desiderio exardescens,
 me ad eius terras contuli. Ille vbi intellexit me
 ad se venire, in occursum meum venit, ac me
 extra terras dominio suo subiectas præstola-
 tus est. Sed priusquam de feruenti huius in
 Deum, nosque, ac res factas ardore dicam; al-
 tius paullulum, at breuiter, repetendum, cur
 tot abhinc annos, Hispanis iuxta atque Indis,
 omnem in terras suas aditum obstruxerit.
 Multis iam anni abiêre, cum ex Assumptione
 Dux quidam Hispanus Indis inimicissimus
 Villaricam concessit: is fictâ amicitia simula-
 tione Taiobam per internuntium rogauit, vt
 ad se venire dignâretur: se quædam cum eo
 magni momenti communicanda habere, fo-
 reque vt multis muneribus, quæ secum deru-
 lerat, eum cumularet. Fide datâ & acceptâ,
 quatuor Caciquij totius illius regionis domi-
 ni Villaricam venêre: sed munera alia præter
 minas, vincula, verbera, nulla reperêre: iis
 enim in custodiam actis, continenter illis tor-
 menta ac patibula Dux ille denuntiabat, si non

*Taioba
 Caciquius,
 Magnus
 dictus.*

*Omnès ex-
 teros à suis
 terris ar-
 cer. Et
 quare.*

*Dux Hi-
 spani per se-
 dia.*

ingentem Indorum vim ad se venire iuberent. Hoc illud nimirum est, quod quidam homines quæritant, ut plurimos sibi subditos habeant, quorum operâ opes sibi corradant. Tres Caciquij in carcere voluntariè accitâ fame mortem sibi ipsi consciuère. Solus Taio-
ba, cum ipsis compedibus è custodiâ elapsus aufugit : atque ab eo tempore omnem, ad se suosque aditum ita occlusit, ut tantum abfuerit, ut Hispanorum aliquem illuc ingredi aut transire permiserit, ut ipsis etiam Indis, Hispanorum famulis, omni commercio, colloquio, atque aditu interdixerit : atque adeò omnes internuntios, etiam Indos, postmodum ad se ad reconciliandam gratiam missos, summâ barbaræ iræ atque immanis odij pertinaciâ, dentibus dilaniatos vorârit. Neque etiamnum quidquam de barbaro ac contumaci decreto remiserat, ut etiam videre licuit, cum abhinc biennium cruentas epulas ex septem, meis comitibus eius subditi instruxère ; quorum ossa in eorum domibus etiam nunc reperi : ex iis enim præacutas sagittis suis cuspides conficiunt : adeò ut neque Hispani pace oblatâ exacerbatos eorum animos mitigare valuerint, neque bello intentato nisi magnâ vel clade vel ignominiâ acceptâ vnquam è certamine discesserint. Itaque vel metu vel desperatione eò erant adducti, ut de iis subigendis ne ampliùs quidem cogitarent.

*Taio-
ba
aduersus
Hispanos
odium.*

Hic

Hic erat Taiobæ rerum status, eum eò me
 contuli. Cumque innotuisset me ad eum ten- p. Anto-
 dere, innumeri Indi eius famâ permoti me nium Ruis
 etiam atque etiam rogarunt, ut se mihi comi- magnificè
 tes adsciscerem, ut Taiobam, cuius nomen excipit.
 adeò percrebuerat, vel semel intueri possent.
 Cum eum locum attigi, in quo me ipse cum
 suis, multis leucis extra territorij sui fines op-
 periebatur, omnia festo buccinarum tympa-
 norumque sono perstreperere cœpere. Arcus
 plurimi triumphales passim in vijs, quâ transi-
 rem, erant extructi. Balsa verò erat ramis con-
 uestita, panno lineo tecta, quæ me trañicien-
 tem exciperet. Ipse Taioba simul ac sub eius
 conspectum veni, illicò accurrens in meos am-
 plexus ruit, hæc verba præfatus: Pater huc te
 conspecturus adveni, ut me in filium accipias,
 & quid me agere oporteat doceas. Eius vxor
 pari benevolentia significatione tres ad me fi-
 liolos adduxit, quorum natu maximus septi-
 mum ætatis annum non excefferat. Paruulis
 quantum potui amoris affectum exhibui,
 quod illi tanti fecere, ut confestim dixerint:
 Nunc Pater tuam erga nos benevolentiã, quæ
 tantoperè nobis deprædicata est, experimur.
 Taiobæ Nicolai, vxori Mariæ nomen impo- Nicolans
 sui, in tempus scilicet quo sacris regenerationis appellatur,
 vndis aspersi forent: eoque tum propriis tum vxor Ma-
 alienis interpositis precibus me adegere: ve- ria.
 hementer etiam institere ut se matrimonij Sa-

28. eius fi-
lij bapti-
zati.

cramento copularem, quòd assererent, se in eo, quo hactenus vsi fuerant, viuendi modo pacem haudquaquam reperisse: sed eorum petitiones discussi, vel potiùs in id tempus, quo scitu necessariis imbuti forent, distuli: sed viginti octo eius filios, ex variis vxoribus susceptos, sacro fonte ablui; qui omnes egregiam quamdam ac præclaram indolem ostentant, præsertim natu maximus, parenti cognominis, quem mihi semper affixum habebam. Virgas dignitatis insignia, aliam parenti Ducis supremi, aliam filio Tribuni, alias aliis Caciquiis distribui. Ita Principes super omnem terram nimis honoratos nos Deus constituit, vt extranei, omniumque egentes, primo nostro ad gentem aditu leges statim iubeamus, dignitates conferamus, delicta castigemus, omnium animos nobis in omnibus obsequentes reddamus. Quid dicam de immani harum gentium in externos quosuis odio ac barbarie? quid de effrenatâ earum, abiecto etiam omni rationis freno, viuendi licentiâ? mitto hæc aliaque quamplurima. Vnum dico: Meridianâ luce clariùs elucere, gentium harum ad fidem adductionem ope atque operâ mortali, aut arte humanâ magistrâ prouenire nullo modo posse: sed maiorem Deum agere, quandoquidem tantâ suauitate ac facilitate, tam solida inter hos barbaros religionis fundamenta iaciantur.

Ex

Ex fluminis Guibai incolis, nemo in occur- *Guibai*
 sum meum venit, quòd, vt aiebant, vel pudore *fluminis.*
 vel metu prohiberentur, propterea quia ab-
 hinc biennium mortem mihi machinati fue-
 rant. Sed ego verius existimo, quòd eos incan-
 tadores, ne id agerent, deterruerint; iis enim,
 vt tenebrarum filiis, æquè ingrati atque inuisi
 sumus. Id què eò fit, quia luce nostrâ diabolicæ *Incanta-*
 eorum fraudes atque artes detestandæ dete- *torum*
 guntur: illi enim suis præstigiis ac fallaciis *præstigia,*
 modò lignum in hominem coquertendo, mo- *et odium*
 dò abdita quædam in medium proferendo, *in Patres.*
 modò aliis modis sensibus illudendo, Deos se
 rerum omnium conditores faciunt. Ex illius
 tamen fluminis accolis subinde ad me venêre
 Caciuij duo, quorum alter populum in
 meam aliàs necem concitârat. Ab utroque
 gratiam iniui, virgisque dignitatis indicibus
 honoratos, ad suos remisi: in quos malefici,
 effrenatum odium, quo in me exardescabant,
 deflectentes, innumera verborum ad mina-
 rum iacula contorsêre. Itaque rem ritè affe-
 ctam intuens, loco edificio captato, flumine
 Guibao eius vallem alluente, cum trecentis In-
 dis vexillum crucis erexi, terris in singulos pro
 ratâ portione distributis. Indi continuò sua-
 rum ædium, ego templi fundamenta ieci.

Iam pridem vehementer demirabar dæmo-
 nem in scenam non prodiisse: neque mihi du-
 bium relinquebatur, quin vbi eam ingrederetur,

*Conspirant
in eorum
nocem.*

*Instructo
exercitu
Taiobam
inuadunt.*

*Strenue
resistit.*

*Maëndi
Caciquij
iuxta.*

tur, miras turbas excitaret. Disrumpebatur nimirum perpendens sua regna tot tamque illustribus IESV CHRISTI tropæis adornari, totque victoriis ac triumphis ditari. Quare conceptam suam rabiem ulterius cohibere nequiens, eam omnem effundere statuit: atque ad eam rem conficiendam, maleficis in consilium adhibitis, de communi consensu decerni iubet, ne ut iis infestissimum omniumque malorum auctorem de medio tollendum. Itaque consilio dimisso, incantatores protinus gentem eam omnem coëgere, quæ montes eos ac siluas incolit, quæ Incarnationem inter ac Taiobæ terras interiacent: qui omnes in vnum collecti non exiguum nobis negotium conflauerunt: qui enim à me stabant, in singulas noctes ad suas se domos recipiebant, quæ leucâ vnâ à Reductionis loco aberant. Ipse verò Taioba eiusque filius, sua cum meis pericula coniungentes, mihi continenter hærebant affixi, cum Indis circiter ducentis, qui sua iam ruguriola sub pede montis erexerant. Sed tanta barbarorum hostium multitudo ac ferocitas inualefcebat, ut vix à nostris iis obsisti posse videretur. Eminebat inter nostros Caciquius Maëndi, licet annos adolescentiæ nondum excessisset; qui vehementi animi impetu concitatus, assererat se quotquot essent incantatores, viuos igni cremandos traditurum: eos sibi à teneris annis detestanda sua dogmata propo-

proposuisse, ut se dæmonis laqueis implica-
 rent; sed iam apertiseorum fraudibus, odio se
 plusquàm Vatiniano eos persequi. Hoc ita-
 que, atque alio Caciquio, itemque suo filio, *Taioba,*
 Taioba comitatus, nocte intempestâ ad me *Maëndi,*
 venit, rogans ut se suosque sacro fonte asper- *aliiq; ba-*
 gerem: in posterum diem bellum indictum; *prixantur;*
 vehementi omnes se desiderio flagrare, san-
 guinem vitamque suam, pro sanctissimâ Dei
 patris sui lege tuendâ, ut filios deceat, profun-
 dendi. Eos itaque pro temporis angustiis in-
 structos in Ecclesiam per Sacramenti ianuam *prælium*
 intromisi. Ante lucem aduersarij in quatuor *ineunt.*
 turmas distincti nos adoriuntur. Ex nostris
 duo dumtaxat, ex illorum parte plures in acie
 cecidère, qui statim dentibus dilaniati deuo-
 rati sunt: multi utrimque, inter quos Taiobæ
 filius, quamuis citra vitæ periculum, plagas ac-
 cepère: sed tanta barbarorum tandem multi-
 tudo ingruit, ut nostris receptui canendum
 fuerit; propterea quòd paucissimi Taiobæ
 subditi rei conscij prælio interfuissent. Ego
 verò Taiobæ curâ, studio, atque industriâ, in
 densissimam me siluam abdidi. Inter malefi-
 cos id conuenerat, militibusque erat denun-
 tatum, ut ne quisquam infestas mihi manus
 admoueret, sed viricula dumtaxat iniicerent;
 palàm enim in maleficorum conciliabulo dæ-
 mon iis prædixerat, fore ut me viuum in eo-
 rum manus traderet. Sed potentior Dei ma-
 nus

nus me ab eius vnguibus vindicauit. Effigiem Beatissimæ Virginis, penicillo depictam, comiti cuidam ex meis eripuerè, quam incantator arreptam, vnguibus ac dentibus discerpfit, in hoc hæreticorum moribus similis. Caci-
Piraqua-
tica Caci-
quiùs Ta-
ioba auxi-
lium fert.
 quius erat natu grandior, nomine Piraquatica, Taiobæ propinquus, qui me iam antea conue-
 nerat, cum à Taiobâ primùm acciperet. Huic
 vbi fuit renuntiatum, gentem hanc constatâ à
 maleficis seditione inductam, vt aduersus
 Taiobam insurgeret; protinus in propinqui
 sui subsidium aduolauit. Iter verò meum per
 densissimas siluas, multa non indumentorum
 modò, sed cutis etiam miserrimâ strage, qua-
 tuor Indis viæ indicibus comitibusque profe-
 cutus sum. Amnes eâ solâ ratione trans mitte-
 bamus, ne, certo, relicto vestigio, me asseque-
 rentur. Solis arborum foliis subiecto igni to-
 stis, fungis, variisq; radicibus vescebamur.
 Idq; omni asseueratione R. V. possum affir-
 mare, citra omnem apprehensionem folia hæc
 haleculas igni tostas mihi visas esse. Ipse verò
 Taioba cum ab eo discessi, manantibus lacry-
 mis à me petiit, quid sibi facto opus esset. Cui
 ego, vt accito Piraquaticâ necessario suo, gen-
 tem suam ad eum locum, in quo crux erat ere-
 cta, conuocaret. Reductiones quinque infi-
 gnes illic extrui poterunt, Domino diuinâ suâ
 gratiâ opus suum dirigente.

Gualachi
populi.

Gualachi præterea operam nostram mirum
 in

in modum expetunt. Neque occasio hæc de manibus elabi sinenda est. Nam per eorum terras, via hinc in Iguazu aperietur, ac Paranaenses cum Guairanis Reductionibus coniungentur.

Alia item Reductio est, cuius fundamenta breuî iacimus, ex siluarû ac montium incolis, qui eò se recepêre cûm primûm Hispani terras has occuparunt. Hos Indi quidam nostri iam reducti in magno Parana piscantes videntur, rogaruntque, quî vitam traducerent. Dixerunt ij se tædio affectos siluestrem vitam vltcriùs non posse producere: inaudisse se quàm præclare cum iis omnibus ageretur, qui sub Patrum disciplinâ, curâ ac fiduciâ degerent: optare se supra modum, vt etiam se Patres reducerent. Quadam vice, inducto ferè calle, densissimas illas silvas fuimus ingressi: sed vix paullulum processeramus, cûm nullum ampliùs vestigium apparuit, hæsitantesque nos inter reuertendi progrediendi que consilium imber occupauit, qui integrum nos diem permadefecit. Omnis hæc messis alba est, neque aliud superest, quàm vt R. V. à quâ innumerarum animarum salus dependet, vt à messis huius post Deum curatore, operarios huc submittat. Hæc toridem ferè verbis ex P. Antonij litteris desumpsi, Ianuario mense anni vigesimise xvi mihi redditis. Atque is fuit secundus ad Taiobam aditus.

Montanorum conuersio spectatur.

Quis

*P. Antonij
Ruis con-
stantia &
candor.*

Quis verò non arbitraretur generosissimum quemque animum repetitis similibus obicibus vel frangendum, vel debilitandum? Sed quod alteri animos deiiceret, illud ipsum P. Antonio Ruis, Dei gloriæ studiosissimo, non parum animorum adicere solet: maiora quippe periculis præmia continenter ei obuersantur. Itaque tertio eadem re tentatâ, secundissimo exitu insignem sanè triumphum reportauit: ut in epistolâ suâ, anno proximè præterito vicesimo septimo ad me missâ declarat: in quâ eodem animi sui candore, quo cum superioribus agere consuevit, non eas modò pugnas refert, quibus cum hominibus conflictatus est; sed eos etiam assultus, quibus eum dæmon visibili speciei adortus ab incepto deterrere conatus est. Idque eò in lucem edere placuit, ut diuinæ virtutis ac benignitatis ratio clariùs emiceret, qui tam fragile ac debile instrumentum tot tamque egregiis victoriis illustrare decreuit. Litterarum eius verba è verbis transferam. Sic itaque ait:

*Eius alia
littera.*

*Taioba &
socij eum
inuisunt.*

Dum in missione, de quâ paullò post agam, versarer, nuntium accepi, Taiobam rursus se ad Reductionem extruendam accinxisse: quin etiam ipse Taioba, ac Piraquatica, tresque alij Caciquij, ubi rescuere, me in pacifico quodam Indorum vico degere, magnâ beneuolentiæ significatione me inuisere. Vna vox erat Indorum pari emissa consensu rogantium,

ne

ne caput meum tam certo ac euidenti discrimini obiicerem: si eò redirem, procul dubio futurum, vt inexplibilem incantatorum famem atque odium, meis carnibus saturarem: ita enim rursum dæmonis erat oraculo confirmatum. Ipsi Reductionum vicinarum Patres litteris ad me missis, prout rem constitutam intellexerant, me à progrediendi consilio vehementer auocabant. Hispani verò Villaricenses, ad vicinum Indorum vicum venère, atque eos ibi conueni: vbi mutuâ gratulatione functi, omnes coniunctis precibus, nōnulli etiam me lacrymis amoris illicibus conspergentes obtestabantur, ne iter illud aggrederer: se ex certâ Indorum scientiâ compertum habere, fore vt citra vllam dubitationem barbaris esca fierem.

Multi dissuadent ne ad eos proficiscatur.

Gratiis illis actis, dixi negotia hæc, vt Dei erant, humanarum rationum pondere nequaquam fulciri debere: ceterum me Deo re intimè commendatâ facturum, quod ad maiorem eius gloriam facere existimarē: me eâ in Deum fretum fiduciâ, vt etiam si quotquot in toto terrarum orbe degunt, in meam perniciem coniurassent, neque apicem eorum, quæ ad eam promouendam facerent, relinquerem. Sicque ad vicum meum redij, vnde Taiobam eiusque socios ad suos remisi, iis suadens, vt gentem cogerent, quâ superuenientem inimicorum impetum propulsare valerent. Interim exercitiis spiritualibus me dare constitui, ac

Generosè iis respondet.

Multâ oratione rem Deo cōmendat.

septi-

septimanas septem, septem horas in dies orationi, ad septem Archangelorum honorem vacavi, quibus hanc Reductionem, in aliquam grati memorisq̃ue animi significationem, pro singularibus, iis deprecatoribus, in meis itineribus à Deo muneribus acceptis, dedicare constitui: quamvis tria alia etiam singularia, Beatissimâ Virgine Dei Matre intercedente, vnico meo in laboribus atque angustiis perfugio, beneficia in me collata fuerint.

*Dæmon
cum terre-
re conatur.*

Et quoniam dæmon humanis actionibus omnibus oculatissimus solet interesse spectator, quodam tempore cum fortè ante focum ob frigus adstitissem, sub horam noctis vndecimam, repenti iuxta me, facie tumidâ ac rotundâ lancis ad instar, se mihi visendum præbuit: sed tantum abest vt metus mihi aliquis fuerit iniectus, vt etiam animos inde non exiguos hauserim: nam exercitia mea, solam mandiocam ac rapas admittens, persecutus sum, consilium Christi securus, asserentis hoc dæmoniorum genus nisi in oratione & ieiunio minimè eiici. Longum sanè est dicere quot quantisq̃ue intus pugnis, forisq̃ue timoribus; quot angusti animi, modò diffidentis, modò variantis perturbationibus conflictatus fuërim. Hic Patres litteris mihi denuntiavêre, se mihi vehementer auctores esse, vt me ex illo vico, in quo exercitiis vacabam, proriperem; quod vbiq̃ue me barbari quærirarent, ac sine vllâ

*Alia viâ
barbaris
insidia.*

vllâ dubitatione præsentem mihi necem afferrent.

Sed duæ res sub interioris huius tumultus *Diuinitus* tempus mirificæ mihi fuere consolationi: altera, quam vehementer à Deo expetieram, quod *confirmatur.* expressè me R. V. ad tertio eandem rem pertentandam designarit; altera, quod in medio caliginosæ hæsitætionis, atque ærumnosi cuiusdam tædij, clarus mihi quidam diuinæ lucis radius affulserit. Videbar cum duobus alijs è Societate in ingenti planitie versari, ac videre ingens alcium ac iumentorum armentum miro fulgore micantium, inclinatis ad nos capibus ventitare. Enimuerò non facile dixerim, quantâ me meosque Socios ex hoc aspectu lætitia inceserit: quibus ego voce indicaui, vti paullatim armentum cingeremus, idque ad *Visio euentus prognostica ei oblata.* templum quoddam splendidissimum ageremus, in quo nullo negotio, omnia ea iumenta conclusimus; adeò vt neque vnicum dumtaxat è custodiâ elapsum fuerit. Incredibile dictu est, quantos mihi animos res hæc addiderit. Neque paucis dici potest, quot mihi sensus, circa rei huius explicationem inciderint.

Sub idem tempus centum circiter Indi, totius regionis ferocissimi, qui septem Indos mihi comites quondam comederant, ad eum vicum, in quo degebam, venere. Mihi item *Alia rei benè gerenda indicia.* nuntiatum fuit Caciquios septem nobis infestissimos fustibus in siluis acceptos mortem occu-

occubuisse, nullo tamen ne incerto quidem necis auctorum indice. Præterea è vulgo non paucos, incertis item mortis auctoribus, esse trucidatos. P. Simon Mazeta litteris suis ex S. Pauli Reductione ad me missis rem hanc corroborabât, adiiciebatque nonnullas Indorum turmas, ignorantes à quo fugarentur, tamquàm in asylum ad se confugisse, asserentes sibi videri cælum ruere, ac proinde se ad Patrem contulisse, ut suo eos patrocinio tutaretur. Hoc illud nimirum est, de quo Regius vates prælagâ mente vaticinatus est: *Homines & iumenta saluabis Domine*. Is enim videtur, Angelorum ministerio, omnes intrare compellere. Gratia profectò non mediocris habenda ac referenda Deo est, quòd aliquando tandem, illos suos benignitatis oculos ad hanc gentem adiacere dignatus est.

*Tertid proficiiscitur
ad Taiobâ.*

Tempore quo spiritualibus exercitiis vacuëram euoluto, me itineri commisi, statuens certam vel mortem vel victoriam hac tertiâ vice reportare. Itaque omnibus, quæ habebam, in Indos distributis, solam aram meam portatilem atque hamacam mecum asportans, modico frumento Turcico ac fabis in victum meum assumptis, Taiobæ Reductionem attigi festo S. Dominici die, ac Beatissimæ Virginis peruigilio, infra octauam S. P. N. IGNATII. Qui dies, quin mihi secundissimus foret tot tantisque Sanctis deprecatoribus, haud

equi

equidem dubitabam. In viâ interuallo satis à
 Reductionis loco notabili, septem Archangeli *Praeferrî*
 lorum effigiem à Fratre nostro Ludouico Ber- *imagines*
 ger depictam, quam mecum deferebam, in *7. Angelo-*
 omnium conspectu gestandam protuli. Eam *vum curat.*
 Taioba ac Piraquatica, qui mihi se obuios
 præbuerant, gestauere. Ego me amiculo lineo,
 superpelliceum vocant, indui, stolâ ex collo in
 Sacerdotij insigne suspensâ: ac sic supplicatio-
 nis ritu iter benè longum confecimus. Effigies
 in tuguriolo recto adhuc carente fuit colloca-
 ta. Sed paucissimos Indos reperi: propterea
 quòd omnes ferè Taiobæ ac Piraquaticæ sub-
 diti ab incantatoribus deterrentur: ingen-
 tem enim seditionem vbique conflauerant.
 Itaque nouus metus animum meum subiit, ne
 si nos hostes adorirentur, omnibus nobis præ-
 sentem necem adferrent. Neque quidquam
 excogitare poteramus, quo eorum impetum,
 si aduenirent, propulsaremus. Ego me ad ora-
 tionem, inexpugnabilem clypeum, telumque *In periculo*
 ineuitabile, contuli, nouem dierum perpetuâ *ad preces*
 deuotione institutâ, in illius honoris memo- *confugis.*
 riam, quo Beatissima Virgo incarnatum Ver-
 bum nouem mensibus in vtero, intacto Virgi-
 nitatis flore, gestauit.

Atque vnâ eademque nocte iteratis vicibus *Dæmon*
 dæmon venatici canis speciem præferens, me *eum sapiens*
 inuadere visus est: sed manu meâ abactus, sub *inuadere*
 scamnum, in quo iacebam, se coniecit. Magno *frustrâ co-*
 qui- *natur.*

K

quidem horrore perfusus fui: sed animus meus in primis erigebatur, eâ consideratione, quòd ministrorum dæmonis vim fractam cernerem, quandoquidem per se ipse me adoriretur. Duabus insequentibus noctibus rursum mihi minas intentauit, sed fractioribus semper viribus conflixit.

*Templum
aëris.*

Exemplò locum exstruendi templi designauit: seq̃ue Deus tam mirabilem in hoc negotio præbuit, vt quamlibet eius memoriam repetens, vix manum aut pedem, nisi diuinâ prouidentia dirigente, mihi promouisse visus sim. Et ne longum faciam, breuiter euentus aliquot notatu digniores referam. Cùm huc aduenirem, fama præuolans vbique percrebuerat.

*Guirauera
Caciquius
in eum
conspirat.*

Hæc vbi ad Guiraueræ Caciquij in magicis artibus exercitatissimi allapsa est aures, enimuero horrendum rugiit, asseruitque me terribiosos dentes minimè euasurum: conuocatoque Caciquiorum concilio, qui ei omnes vt Deo parent, sic ad eos de nece mihi intentandâ retulit, vt ei ad vnum omnes assenserint. Aduenerat inter ceteros Caciquius Ararundig, qui anno præterito cùm me ad interficiendum quærirarent, copiis præfectus erat. Sed quòd tum temporis Caciquij cuiusdam præcipui filius in acie occubuisset, defuncti parens Guiraueræ amicissimus, in Ararundig, vt filij sui mortis auctorem sœuire cœpit, quòd nimirum de iuuenis suæ fidei commissi vitâ non maiorem

*Ararundig
Caciquij
hostiū
ducis fune-
ra mors.*

rem

rem curam gessisset. Itaque Guirauera, in amici gratiam Caciquium Ararundig suâ manu interemptum comedendum apposuit, sociorumque eius cadauera aliis Caciquiis tradidit, ut in suis quisque terris lautum ex iis conuiuium instruerent. Atque hic finis fuit Ararundig, qui barbaro impetu violentas mihi manus iniicere decreuerat: sed id in eius manu, Deo mei vindice, non fuit.

Alius item cognomento Cheacabic, *Cheacabic*
 meas (eas enim corporis humani partes in *Caciquij*
 summis deliciis numerant) vxoribus suis promiserat: sed is in acie à quodam ex suis, cui filiam suam in matrimonium tradere abnuerat, sagittâ transfixus interiit. *caedes.*

Tantâ verò nunc hîc fame premimur, ut tantum non omnes enecemur. Turcicum frumentum, quod mecum attuleram, terræ mandari iussi, aded ut solis herbis, earumque radicibus, ac palmarum foliis victitemus. Sed non existimo manna olim Israëlitarum palato acceptius fuisse, quàm meo frondes hæ sapiunt. Enimuerò citra hyperbolen aquâ rosaceâ frondes hæ mihi conspersæ videntur. Et certè quamuis nullum alium, quàm hunc tam euidentem diuinæ providentiæ effectum experiremur, dici non potest quantâ suauitate omnia pericula, egestatem ac lassitudinem condiat. Ad itineris mei molestias cum huc veni febris *Febris labor-*
 accessit, quâ non mediocriter afflictatus fui. *rat P. Ruiz.*

Illa tamen adeò me ab itinere non reuocauit, vt maiori animo id persecutus sim. Sed iam cogente Numine discessit: adeò vt nunc pristinis corporis viribus polleam.

*Insigne ca-
sticaris stu-
dium.*

Neque his, quas modò recensui, machinis in me adhibitis, dæmon acquiescendum ratus, nocte hac S. Mauricio sacrâ me rursus aggressus est: quam rem, vt contigit, ad Dei gloriam referam; vt R. V. constet, quomodò eos, qui se omnibus huius vitæ commodis abdicauerunt, per se Deus recreare dignatur. Itaque heri vesperti, post binas horas, quas in dies singulos ante somnum orationi impendere soleo, corpus quieti tradens, vehementer contractis à frigore cruris neruis laborare cœpi: cui malo cum mederi, nisi alienâ operâ non possem; & voto me pridem obstrinxerim, neminem tangendi, neque permittendi vt à quoquam ipse contingar quamdiu communi luce fruam; periculum doloremque contempsî. Animus tamen in varias partes distractus, ancipitem cogitandi curam adferebat, hinc necessitate, illinc voto identidem mentem exagitante. Totam ferè noctem insomnem, in hoc cogitationum æstu traduxi: tandem inuiolato voto, vitæ etiam discrimen adeundum duxi, votoque instaurato ac renouato, in somnum incidi. Sub primam quietem dæmon atro vultu me suscitauit ac si mecû luctari voluisset: extemplo (sic enim in similibus occasionibus assueui) suauissi-

uissimo IESV nomine inuocato, eius opem flagitavi; dæmonque subiecit: Maledicite, ut ferreuses! itaque ubi intellexi eum in rabiem versum, quod ita me ipsum antea superassem; contumeliis probrisque oneratum abegi: Deoque gratias egi, tum quod eam mihi mentem inieciisset, ne voti violationem admitterem; tum quod tantum mihi animorum erga Tartareum illum Cerberum adiecisset; quamvis nunquam sine ingenti in me horrore relicto decedat. Neque eius conatus demitor: plurima enim de eo spolia in dies singulos referuntur: plurimique præcipui exercitus eius duces ad nostras se partes transferunt.

Quod ad huius regionis particularia spectat; nullæ hîc aues, feræve, aut canes, atque adeo res nulla vitâ prædita est. Hominum nemo se moriturum arbitratur. De alterâ verò vitâ nulla apud eos mentio. Enimvero obstupescunt, cum de mortuorum resurrectione dicentem audiunt. Guirauera mirâ rerum metamorphosi sensibus illudendo, eos hæcenus sibi in omnibus obsequentes habuit. Is domus nullius Indi operâ, sed solo muliebris sexus famulitio vititur. Inuidiâ ac furore disrumpitur, dum me eius minas flocci facere cernit. Sed ego flagello semel in dies singulos, aliisque corporis afflictationibus pro eo me macero; thronumque diuinæ clementiæ læpius de die adeo, ut cum Christo lucrifaciam. Volupe mihi

Dæmon iterum eum terret.

Taioba regio & subditi quales.

Guirauera mores & furor.

P. Ruis pro eo orat.

mihi in primis est intruere quàm auidè gens hæc
 ea quæ de futurâ vitâ dicuntur arripiat: & li-
 cet ob famem per varia loca dispersi sint, ta-
 men ex octoginta Caciquiis, in quorum noti-
 tiam deueni, sexaginta cum Taiobâ à nostris
 partibus stant, ceteri cum Guirauerâ faciunt.

500. bapti-
 zati.

Indos hîc quingentos iam nunc sacris regene-
 rationis vndis aspersi.

R E D U C T I O S. P A V L I.

Reductio hæc vnius diei itinere Villari-
 cam versus, à Taiobæ Reductione abest.
 Eius fundamenta iecit P. Antonius Ruis cùm
 tertio Taiobam adiret, sub initium anni
 MDCXXVII. P. Simonis Mazetæ curæ com-
 missa est. Caciquij viginti septem ex terris
 Taiobæ subiectis, se huc reduxere. Aliud nihil
 peculiare de hæ Reductione accepi.

G V A L A C H O R V M

R E D U C T I O.

Inter Taiobæ Reductionem & Gualachos
 quatruidui iter intercedit. Hi nūtio ad P. An-
 tonium misso, dum in fide inter Taiobæ sub-
 ditos disseminandâ occuparetur, eum obte-
 stati sunt, vt ad se veniret, quòd nimirum vehem-
 enter

menter percuperent tum communem vitæ
 societatem amplecti, tum de iis quæ hanc vi-
 tam insequuntur informari. Sed rebus non-
 dum in Taiobæ Reductione ritè compositis,
 eo tempore quo iniis componendis commo- *P. Ruis*
 ratus fuit, Gualachorum idioma P. Antonius *Gualacho-*
 cœpit addiscere, quod à communi Guranico, *rum idio-*
 quo vnico in omnibus Reductionibus Para- *ma addi-*
 nensibus, Guairanis, atque Vruaicis vtuntur, *scit.*
 discrepat. Rebusque compositis, P. Spinosa *Gualachos*
 apud Taiobam relicto, ad Gualachos se P. An- *adit.*
 tonius contulit. Ex itinere ita ad me scribit:
 Omnis hæc regio innumeris Indis scatere, at-
 que ad Oceanum vsque protendi dicitur.
 Quod ad Gualachos attinet, spes messis proxi-
 mæ certa est: nam Indis quibusdam Taiobæ *Eorum er-*
 subditis verbera ac necem intenterunt, eò *ga Patres*
 quòd inaudissent me à Taiobâ interemptum: *studium.*
 iamque in procinctu erant vt Taiobæ bellum
 in vindictam indicerent, nisi ab errore suo
 fuissent deducti: quocircà iteratò me accer-
 suère. Pater mi, si R. V. auxiliares nobis so-
 ciorum copias submittat, omnia breuî confi-
 cientur. Mirum enim dictu est quantam fa-
 mam Taiobæ ad fidem conuersio, non modò
 inter Indos, sed etiam inter Hispanos excitâ-
 rit; qui omnes hærent attoniti dum audiunt
 me terras perpetuis bellis ardentes peruadere,
 ferocissimisque Indis suaue Christi iugum in-
 iicere, seque cum suis armis excludi. Sæpenu-

merò se mihi miris verborum blandimentis Hispani comites obtulêre : sed ego simili omnino sermonis lepore, eorum comitatum recusavi. Sic P. Antonius, qui tam certam spem de hac Reductione concepit, vt eam iam fundatis annumeret,

R E S I D E N T I A S A N C T I S P I R I T V S V I L L A R I C E N S I S.

*Villarica
olim Socie-
tatis Resi-
dentia.*

*Vitiorum
reprehensio
odium Pa-
tribus pa-
vit.*

ESt hæc Hispanorū vrbs, leucas non omni-
no triginta à S. Frâcisçi Xauerij Reductio-
ne dissita. Ante annos quadraginta Societatis
Residentia in eâ fuit constituta : sed quòd ad
Peruanam Prouinciâ spectaret, atque à Limâ
Peruuiæ capite mille ampliùs leucas abesset,
deferenda fuit. Sicque cum Patribus, domus
ac templum ipsum collapsum est. Neque aliud
Societatis monumentum in eâ vrbe, nisi in so-
lâ hominum memoriâ perseuerauit. Antiquio-
rum tamen Reductionum Patres subinde eò
excurrerant, Dei verbum seminaturi: sed vt in
vitia ac deprauatos incolarum mores acriter
inuehebantur; fiebat vt in vindictam multas
vicissim in Patres iniurias conicerent, multa-
que à vero abhorrentia comminiscerentur.
Sed cùm P. Christophorum Turrianum So-
cium

cium meum hac meâ visitatione eò misissem,
 is tum opere, tum sermone adeò se potentem
 ostendit, vt sacro quadragenorum dietum ie-
 iunij tempore, in solitis Societatis ministeriis
 ibi exacto, magna vitæ morumque mutatio,
 atque alia planè ciuitatis facies esse cœperit.
 Atque ab incolis P. Christophoro non priùs
 facta est abeundi potestas, quàm P. Paulus
 de Benauides obses ibi fuerit relictus. Eâ verò
 præcipuè ratione inductus fui, ad Residen-
 tiam eo in loco constituendam, vt cùm Patres
 omnes Guairani in barbarissimarum regio-
 num meditullio versentur, Indi hi Hispano-
 rum metu, à repentinâ voluntatis ad pristinas
 ineptias inclinatione reuocentur; atque in of-
 ficio, si resita fortè postularet, coërceantur.

*Expetitur
 rursum ibi
 Societas.*

REDUCTIONES

PROVINCIAE VRVAICÆ.

Inter vltimos Guairanæ Prouinciæ limites
 hæctenus cognitos urbemque Boni-aëris
 quadringentæ facillè leucæ interiacent: quod
 iter necessariò relegendum est, vt tertiæ huius
 Prouinciæ notitiam aliquam aperiamus. Pro-
 uincia ipsa à flumine maximo Vruaig, quod
 vulgò Limacum flumen sonat, ob innumeram
 animalium istorum ad fluminis ripas copiam,
 appellatur. Flumen hoc cum magno Paranâ,
 non influit.

*Latitudo
 ingens pro-
 uincia.*

*Vruaig,
 vulgò Li-
 macum
 flumen, in
 Paranâ*

K 5

non influit.

non multis à Boniæris vrbe leucis commiscetur. Ex ipsis Brasiliæ iugis, quatenus hæcenus assequi coniecturâ licuit, exoritur: Illicò compertum est à Septentrione in Austrum, inter Paranam ac perpetua montium iuga Brasiliæ dorsum obtendentia, trecentarum leucarum spatio delabi. Prouincia verò, de quâ agimus, inter flumen à quo nomen mutuata est, ac Brasiliam, totidem ferè leucis in longitudinem prominet.

Eius longitudo.

P. Rochus Gonzalez primus in Vruaicâ Christum prædicat.

Oppidum Immaculata Conceptionis;

peste vexatur.

Primus IESV CHRISTI insignia in hanc Prouinciam intulit P. Rochus Gonzalez, quò Regia numquàm arma potuerunt penetrare. Septem anni abièrè, cùm primam Reductionem ab Immaculatâ Virginis Conceptione nomen trahentem, è regione illius ferè loci, vbi duo maxima flumina Parana ac Paraquarium committuntur, aggressus est. Sed dæmonem suis conatibus adeò infestum expertus est, vt tum aditus ei vnde quaque, quò minùs ad interiora tenderet, fuerit obstructus; tum in hac Reductione toto triennio pestis ita fuerit grassata, vt sexaginta vix familiæ incolumes remanserint. P. Rochus Gonzalez ac P. Petrus Romerus subinde aduersò flumine Vruaicò summo studio ac zelo adnixi tentarunt Prouinciam peruadere: sed continuò ingentibus barbari copiis adfuère, telis viam obsepientes, præsentemque iis necem, nî euestigiò remearent, comminantes. Tandem diuina bonitas,

tot

tot tamque assiduis Patrum nostrorum precibus ac laboribus conuicta, viam nobis usquequaque aperuit.

Quod ad hanc Prouinciam in genere attinet, illud nequaquam omittendum videtur, dæmonem scilicet in omnibus Dei simium agere. Nam Incantatores Ecclesiasticæ apud nos Hierarchiæ vices subeunt: vnus enim est ceterorum omnium caput, cuius iurisdictio ad omnes Prouincias extēditur, cuique omnes in omnibus obsequi coguntur: hic Summi Pontificis dignitatē repræsentat. Alij sunt deinde malefici, quorum dignitas ac potestas non ita latè patet, qui cum Episcopis conferri possunt: atque hi suos habent maleficos in singulis ferè vicis, Parochorum ad instar: aliosque item habent sibi substitutos, si quando eos officio suo, vel propter absentiam, vel propter morbum, vacare non posse contingit. Neque incantatores in his solum, quæ modò diximus, mores nostros adumbrant; verùm vbi accepere, solere nos virgas dignitatis indices distribuere, ciuilesque Magistratus creare; idem hi facere cœpere: atque anno præterito in Corporis Christi Reductione similem virgam ab incantatore missam reperi-

*Incantato-
rum ordi-
nes.*

RE-

REDUCTIO CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS.

*Indi ut
iter aggre-
diantur.*

*Eorum in
incantato-
res odium.*

HÆc Reductio est Prouinciæ huius basis ac fundamentum à P. Rocho Gonzalez exstructa. Multis initio procellis fuit agitata, sed iam turbæ eius compositz sunt. Indi cùm aliquò proficisci coguntur, priùs sacro exomologeseos ac synaxeos Sacramento se muniunt. Incredibili verò odio Neophyti in maleficos incensi feruntur, Quemdam ex hispalàm virgis ita accepêre, vt nisi Pater se deprecatozem pro eo constituisset, non priùs illi à verberibus, quàm hic à vitâ destitisset.

REDUCTIO S. NICOLAI PIRATINENSIS.

*Piratini
amnis.*

HVic item Reductioni initium dedit P. Rochus Gonzalez. Leucis non ampliùs septem à Conceptione distat. Propter amnem Piratini sita est, qui in Vruaig influit. Anno MDCXXVI. crux hîc fuit exaltata, eo die quo eius

eius Inventionem alibi Ecclesia celebrandam
 proponit. P. Alphonſus Aragon, qui huic Re-
 ductioni præſt, aliquot excuſiones fecit, po-
 pulumque ſufficientem reperit, ad novam
 Reductionem conſtandam: ſed quòd Socio
 careret, ei initium dare non potuit. Cùm
 hanc Reductionem viſitavi, omnes ad ma-
 num meam deoſculandam tanto affectu atque
 imperu certatim venère, vt parum omnino ab-
 fuerit quin ſuffocarer, niſi duo Patres mihi
 aſſiſtentes irruentem turbam ſemouiſſent. So-
 læ tres præcipuorum Caciquiorum vxores ad
 me videndum egreſſæ ſunt, idque in ſummum
 honoris ſignum. Indi enim eas ita abdunt, at-
 que hæ tantâ ſunt verecundiâ præditæ, vt ſem-
 per in ſuis domibus deliteſcant, neque ab vilo
 videri ſe ſinant.

*Femina
 apud Indos
 raro domo
 produnt.*

R E D U C T I O

S. FRANCISCI XAVERII.

Eodem anno idem P. Rochus huius tertię
 Reductionis fundamenta iecit, aliquot à
 Conceptione leucis, ſecundo quidem flumine,
 at ex alterâ eius parte. Hic multa prioribus ſi-
 milia, fames, labores, pericula. Patres verò in-
 tegros dies doctrinæ Chriſtianæ inſiſtunt.

RE-

REDUCTIO
BEATISSIMÆ VIRGINIS
A REGIBVS VISITATAE
IN YAPEYV.

*Charrua
aliiq; Indi
sape mutāt
domicilia.*

*Tayi Ca-
ciquij ze-
lus.*

HÆc Reductio non situs, sed temporis ordine quarta est. Triginta leucæ inter eam & Conceptionem interpositæ sunt: clauisq; quasi æ Prouinciæ totius ianua est: nam centum leucas dumtaxat à Boni-aëris vrbe abest, quas Charruæ, Iaræ, aliiq; Indi barbarissimi colunt, qui instabiles, de septimanâ ferè in septimanam habitationem commutant, domos ex boum corio confectas secum deferentes: & quorum infantes vix pedibus prius, quàm equo incedere norunt. Hi inquam inter eam, de quâ agimus, Reductionem ac Boni-aëris urbem interiecti sunt. Emicat in hac Reductione Caciquij cuiusdam Tayi feruor. Hic sagum à me acceptum, quod omni suo labore atque industriâ vix vnquam acquireret, alteri cuidam Indo Ibicuitensi dedit, vt ad suos reuersus eos ad Parrum amorem pertraheret.

RE-

REDUCTIO

B. VIRGINIS PURIFICATÆ,

vulgò CANDELARIA.

Ultima hæc est huius Prouinciæ Reductio, si temporis ordinem attendamus. Quinqueleucis à S. Nicolai Reductione abest. Manifesto vitæ discrimini suum caput obiiiciens P. Rochus Gonzalez Reductionem hanc, vt & ceteras, statuit, crucemque adeò ingemem in eâ crexit, vt quotquot essent viri ac mulieres, senesque ac pueri, eam manibus contingere gaudentes, eas operi dum erigeretur admouerint. Sed cum P. Rochus harum Missionum Superior esset, aliæ ei Reductiones fuere visitandæ; cumque neminem haberet, quæ sibi substitueret, eis promisit fore, vt breuè iis Patrem submitteret, qui Christianis eos præceptis imbueret, confectoque visitationis circuitu, ad hanc Reductionem reuertit. Et quoniam in epistolâ ad me missâ, non solum peculiaria ea tractat quæ Reductionem hanc attingunt, sed nonnulla etiam, quæ ad totius huius Prouinciæ vberiore cognitionem spectant, eam hîc adscribere decreui. Sic itaque ait:

Dum ex Conceptionis ad Regum Reductio-

*Oppidum
D.V. Purificata à P.
Rocha Gö-
zalez in-
stitutum.*

Eius littera.

etionem secundo flumine tenderem, ut secundò in Ibicuiti proficiscerer, litteras à P. Petro Romero accepi, quibus indicabat Indos Ibicuitenses ingentem exercitum coëgisse, ut Regum Reductionem solo æquarent; ac de Indis pœnas fumerent, quòd eò temeritatis processissent, ut Patrem apud se degere permisissent, neque veriti fuissent legibus ab eo propositis se mancipare. Omnes Regum Reductionis incolæ me etiam vehementer dehortabantur, ne me viz committerem: certum quippe me vitæ periculum subiturum, si ulterius progrederer. Sed æterna animarum illarum pericula temporalibus meis anteponens, eò me conferre statui, ut viderem quid rei subesset. Patrem itaque Petrum Romerum mihi comitem assumpsi: ac viginti leucas progressi, binas Indorum canoas reperimus, quos P. Petrus Romerus præmiserat, ut de rei veritate constaret. Hi vno omnes consilio nobis auctores fuere, ut regrederemur, nisi fortè lucis huius vsurâ certò priuari cuperemus. Seditionem inter Indos conflata esse, eosque ingentibus copiis venisse ad inchoatam Candelariæ Reductionem, arbitantes me illic adhuc versari, ad me armatâ vi opprimendum; meque non reperto, quòd commodum discesseram, templum ac crucem disturbasse. Hæsi hîc quid mihi agendum foret: sed peracto Missæ sacrificio mihi animos adhiberi sensi ut progrederer, tam projectæ auda-

*In Ibicuiti
tendit, aliis
dissuaden-
tibus.*

*Candela-
ria oppidii
euersum.*

audaciæ remedij aliquid allaturus. Vbi Redu- *Caciquios*
 ctionis, quæ fuerat, locum attigi, Caciquios *eius loci*
 vicinos conuocaui, qui rem vti contigerat *incerpas.*
 confessi sunt, innumeras copias venisse, atque
 omnia eruisse: nonnullos ex se tum temporis
 à Reductione abfuisse, utq; adfuissent omnes,
 neutiquam futurum fuisse, ut tantæ Indorum
 multitudinî obistere valuissent. Acerbâ ta-
 men verborum castigatione eos insectatus
 sum: dixique me vestigium haudquaquam
 collocaturum, vbi tantum facinus fuerat per-
 petratum. Tum Caciquios Tape, id est magni *In Tape*
 populi, vocari ad me iussi, qui multis Indis co- *deducitur.*
 mitibus aduenêre. Ab iis petij, ut me ad popu-
 lum suum ducerent; verum quotquot erant
 vehementer petitioni meæ refragati sunt: sed
 tandem verborum lenociniis ac munusculo-
 rum illecebris eorum gratiam ita sum aucupa-
 tus, ut remiges mihi dederint, ut Tibiquaro *Tibiqua-*
 flumine conscenso, ad Tape peruenirem. Illi *rus flu-*
 verò terrestri itinere regressi sunt. Quinto die *uius.*
 iuxta littusiam tum mihi tuguriolum extru-
 xerant, ut ne ulterius progrederer: sibi enim
 vehementer à Caciquiis aliis metuebant, eò
 quod me in regionis suæ interiora deduxissent.
 Sed post multa vtrò cirroque colloquia, iis
 persuasi, ut me regionis suæ penetralia lustra-
 re sinerent: non tamen iis merum adimere po-
 tui. Itaque vbi in Tape veni, magnis beneuo-
 lentiaî indicijis, vxoribus ac liberis comitibus *Benigne*
 me *excipitur*
P. Rochus
me à barbaris.

me inuisere : at nullo pacto impetrare potui, ut me secum degere permitterent: itaque diem ex die ducens afferebam fore ut breuī remearem vbi eorum terram omnem obuiissem, locumque designassem vbi futuris temporibus Reductio exstrui posset : quo obtento liberè omnia perlustraui. Sed quia solent hi siluas incendere, atque in iis semina terræ tradere, quòd stercorendi artem ignorent, fit ut siluis omnibus incēdio absumptis, nullus locus superpetat, ad terræ semina mandanda. Hinc alios aliò delabi necesse fuit ut siluas quærent, ac iuxta eas tuguria sua exstruerent, ne fame encarentur. Itaque ob siluas, quæ olim, ut aiebāt, fuerant maximæ, incendio absumptas, pauci simul Indi commorabantur, neque in vicis singulis plus centum familiæ, aut ad summum ducentæ degebant.

Et quoniam siluarum incidit mentio, haud abs re futurum existimo, discursu P. Rochi paullulū suspēso, de iis breuiter notitiam aliquam pleniorē ingerere : hæc enim tota ratio est, cur Indi hī tam dispersi viuunt. Modus itaque, quō siluæ hæc paullatim consumuntur, hic est: secures Indi lapideas habent, quibus arbores quasuis etiam maximas deturbant. Ex arborum truncis canoas ac tuguria conficiunt; radices ramosque incendunt. Terra ab hoc incendio aliquot post annis fertilis manet: cui semina mandant. Euolutis fertilitatis

Secures lapideæ.

tatis annis, aliæ arbores deiiciendæ : tandem-
 que sic totâ siluâ cæsâ, alia quærenda : alioqui
 enim terra nihil profert, quia non est sterco-
 rata. Hæc omnis dispersionis origo. Sine siluis
 enim, ob rationem iam dictam, vitam traduce-
 re non possunt. Hinc fit vt nullum iis gratius
 donum, quàm ferrea securis accidat, propterea
 quia labore ac tempore longè minore idem
 efficiunt, quod lapideis suis efficere solebant.

P. Rochus in hunc modum prosequitur: *Periolita-*
 Cùm omnia lustrassem, hæreremque an pro- *tur P. Ro-*
 gredi an regredi vellem; nuntium accepi plu- *chus.*
 rimos Indos ad me interficiendum aduentare;
 sed eorum impetus ab iis qui mecum erant re-
 pressus est, iis enim comites mei polliciti sunt,
 fore, vt quàm primùm me ex suis terris eiice-
 rent. Minis tamen acerrimis barbari eorum re-
 meritatem insectati sunt, quòd me in suas ter-
 ras introire permisissent. Itaque videns totum
 infernum meis conatibus obniti, Dei que vo-
 luntatem esse, vt nequaquàm vltèriùs quid ten-
 tarem, cessi, ac res ita vt dixi constitutas reli-
 qui. Ac profectò illud possum affirmare, me in
 laboribus atque itineribus meis numquàm sic
 vndique arctatum fuisse. Sed quantula hæc
 sunt, si eum spectes, pro cuius honore ac gloriâ
 augendâ suscipiuntur? Et verò tamen aliud
 nihil in hoc itinere profecissem, quàm Tape vi-
 disse, ac loca designasse Reductionibus suo
 tempore, Dei gratiâ aspirante, extruendis,

omnemque Prouinciam lustrasse; non inutiliter me tempus absumpsisse arbitrarer. Quid si obedientiæ meritum annectatur?

*Prouincia
totius fin-
es.*

Prouinciæ itaque huius situs, fructusque qui de eâ sperari potest, hic ferè est: Prouinciæ longitudo 300. ferè leucas, latitudo in quibusdam partibus centum amplectitur. Namque à Boni-aëris vrbe, vsque ad Regum Reductionem, centum leucæ enumerantur: ab hac Reductione, vsque ad S. Nicolai, quæ vltima est, quinquaginta leucæ interiacent, quæ totius Prouinciæ fertilissimam partem occupant. Aliæ deinde quinquaginta leucæ montibus refertæ excipiunt, quæ vsque ad Guairanæ Prouinciæ terminos protenduntur: à quibus vsque ad Brasiliæ limites leucæ centum numerantur. Indi multum dispersi degunt. Animarum circiter centum millia conuerti poterunt. Hi omnes agriculturam exercent, si tria millia Charruarum exceperis, qui in centum illis leucis, vrbi Boni-aëris vicinioribus, incerto atque instabili situ vagantur. Ibicitenses, quinque millia non superabunt. Hactenus P. Rochus Gonzalez, qui octoginta milliaria quæ circuii solebant, ad quinque milliarium iter compendiariâ viâ repertâ coarctauit. Reductionem verò Candelariæ, in situ peramœno, quinque milliaribus à S. Nicolai Reductione distante collocauit: pluribusque aliis Reductionibus manum apposuisse, si Patrum opera præstò fuisset.

fuiſſet, quos ſibi ſubſtituere potuiſſet. Nunc ſubſidiariâ eorum Patrum ope, quos Tua Paternitas nobis ex Europâ mittere dignata eſt, magnus fructus non ſolùm in hac Prouinciâ, ſed & in ceteris duabus, aliisq̃ue nondum deſectis, diuinâ ope adiuuante, ſperatur.

Atque hi ferè fructus ſunt, quos hoc biennio, ex horto hoc tuo collegi: quâ terrâ, quâ fluminibus, in hac ſolâ vltimâ meâ viſitatione bis mille circiter leucis conſectis. Sed tantùm abeſt, vt vel moleſtiæ vel labori hoc mihi iter fuerit; vt etiam maximo gaudio atque alacritate illud conſecerim: præſertim cùm tot apertas Euangelio ianuas, tantamq̃ue gentium ad fidem conuerſionē conſpexerim; vt haud ſciam, an vſpiam in toto terrarum orbe eorum tantùm vigeat conuerſio. Deus Paternitatem Tuam Societati ſuæ diu incolumem ſeruet. Cordubæ apud Tucumanos Nouembris 12. anno 1628.

2000. leu-
cas, viſitã-
do Prouin-
ciam, con-
fecit P. Pro-
uincialis.

HActenus varios ſucceſſus in ſcenam dedi-
mus: Dei benignitatem ac prouidentiam,
quæ de cœleſti ſpeculâ benigniſſimos ſuos ocu-
los genti huic continenter adiecit; Patrum ar-
dorem, labores, pericula, martyrij ſitim,
omniumq̃ue rerum inopiam; Indorum con-
uerſionem, religionem, conſtantiam; dæmo-
nis ac maleficorum rabiem, cuniculos, machi-
nas. Ad cataſtrophē ventum eſt. Dæmon ita-
que Prouin-

Hæc duo-
rum Patrū
cædes an-
teâ ex aliis
litteris,
paullo
clariùs,
vulgata
eſt. Hic eâ
damus, vt
idem R. P.

cialis An-
nuis tum
adiunxit;
ne quid
videamur
omississe.

que conceptam suam rabiem maleficorum operâ aliquando tandem expleuit: sed ita expleuit, vt Dei benignitas, Societatis gloria, ac Patrum triumphus longè clariùs emicuerit. Ita nouit Deus dæmonis molimina, tum in suam gloriam, tum in eius perniciem conuertere. Verùm quòd plena nondum eius rei notitia ad nos deuenierit, in sequentes annuas plenior narrationis series transferetur: epistolam tamen P. Thomæ Vreñæ ad P. Rectore S. Fidei datam non possum hîc non apponere, quamvis post litteras annuas conscriptas aduenierit: in quâ breuissimè, ob temporis angustias, gloriosam Patrum ROCHI GONZALEZ, Paraquariensis ex Assumptionis vrbe oriundi, atque ALPHONSI RODRIGVEZ Castellani, eadem hoc modo describit:

*Littera
P. Thomæ
Vreñæ.*

Pater mi à Conceptionis Reductione, citato gressu, sine cibo ferè ac somno Itapoam aduolaui, eâ solâ ratione, vt R. P. Prouinciali res hæc significetur; scilicet Sanctos Patres Rochum Gonzalez atque Alphonsum Rodriguez, qui ad Reductionem nouam extruendam versus mare se contulerant, cùm ab Indis dies quindecim benè fuissent accepti, à plurimis Indis diabolico instinctu atque impetu agitatis, interfectos esse. Hienim primùm in Patrem Rochum Gonzalez irruerunt, eumq; finito Missæ sacrificio interemerunt. Patrem verò Alphonsum Rodriguez, rei ignarum, ob

*P. Rochus
Gonzalez,
& P. Al-
phonsum
Rodriguez,
occisi in
odiū fidei.*

mur-

murmur superuenientem, simili modo crudelissimè enecarunt. Eum enim vestibus exutum in duas partes immani barbarie diuiserunt: atque vbi sacras priùs imagines ac libros dilacerarunt, ignem templo quod exstruxerant, subiecêre, ex quo sacra amborum corpora in eo existentia paullulùm fuêre adusta. Quare (vt ea omnibus olim venerationi sint, quemadmodùm sanctorum Martyrum reliquiæ) adferri ea ad me iussi. Non enim aliâ de causâ, nisi in fidei nostræ odium, atque eâ præcipuè ratione, quòd sanctum IESV CHRISTI Euangelium admittere noluerint, eis vitam barbari eripuêre.

Non facilè dici potest quanta animorum commotio in Patribus, qui in Reductionibus degunt, fuerit subsecuta. R. P. Prouincialis respôsùm præstolamur. Quapropter R. V. quàm maximè possum oro atque obsecro, vt hæc ad eum quàm fieri potest celerrimè transmittantur. Caremus enim Superiore: neque quid agendum sit sine eius consilio ac iussu decerni potest. Plurima habebam scribenda: sed à temporis angustiiis opprimor. Vale. Hæc P. Thomas Vreña 20. Nouembr. ann. 1628. O felicissimum vitæ decursum atque exitum! Quid amplius etiam optari potest, quàm in Apostolico munere, multisque in eo laboribus exanthlatis, sanguinem pro eâ quam annuntiamus veritate profundere, ei que vitam nostram vicis-

vicissim offerre, qui suam pro nobis prius ponere non dubitauit?

Admodum R.P.V.

Seruus in Christo

NICOLAUS DÛRAN.

Litteræ R. P. IACOBI RANÇONIER
ad R. P. IACOBVM STRATIVM,
tum Prouinciæ Flandrobelgicæ So-
cietatis IESV Præpositum Prouin-
cialem; at priusquàm hæ huc per-
ferrentur vitâ functum.

Litteras has annuas R.P. Prouincialis NICOLAUS DÛRAN nomine mitto ad R.V. quarum aliud exemplar ipse in Urbem misit. Eum rogavi ad maiorem iis auctoritatē conciliandā, vt his quoque nomen suum apponeret. Ceterum R.V. per sacratissima IESV CHRISTI vulnera obtestor, vt me RR.PP. atque amantissimorum mihi Fratrum, quorum omnium memoria indies mihi suauissima ac iucundissima est, sacrificiis ac precibus commendare dignetur; vt vocationis meæ maiestatem agnoscere valeam, atque ita me erga Deum geram, vt ne peccatis atque imperfectionibus meis obicem ponam, quod minus ea per me Deus quæ volet operetur. Neque enim dici potest quanta perfectio ac zelus in hac Prouinciâ requiratur, si egregium quid pro diuinâ gloriâ augendā attentare quis velit. Deus super R.V. totamque suam Prouinciā, Societatis Filij sui Spiritum copiosè dignetur effundere.

R.V. omniumque ac singulorum in Christo seruus
IACOBVS RANÇONIER Ferrer.

Österreichische Nationalbibliothek



+Z179523702

